

B. 34.

6. 6. 18.

2

BIBLIOTHECA ACADEMICA ANNI MDCCXIX SECTIO I,

QVA RECENSENTVR

- | | |
|--|---|
| I. CHR. AUGUST. HEVMANNI
<i>Progr.</i> de metamorphosi filii Dei. | VIII. GEORG. ADOLPH. SCHUBERTH. <i>progr.</i> de meritis Electoris Augusti in Jurisprudentiam Saxoniam. |
| II. <i>Diss. Jurid.</i> de legato collegio relicto. <i>Præf.</i> MELCHIORE DETHM. GROLMANN <i>inaugur.</i> FRID. LEOP. DILLENII. | IX. <i>Diss. med.</i> de morbis animi ex animalis hæmorrhagicis. <i>Præf.</i> MICH. ALBERTI <i>inaug.</i> JO. WARDENBURG. |
| III. JO. LUDOLPH. BUNEMANNI
<i>Progr.</i> de bibliothecis Mindensibus. | X. <i>Diss. med.</i> de Splenetico malo, <i>Præfide</i> MICH. ALBERTI <i>Resp.</i> HELWIG CHRIST. MEYER. |
| IV. <i>Diss. Jurid.</i> de thesauro arte magica inuento <i>Præf.</i> JO. BERNH. FRIESE <i>inaug.</i> JO. HIER. HERMANNI. | XI. POLYCARPI. LYSERI <i>dissert</i> de ficta medii æui barbarie, inprimis circa poesin Latinam. |
| V. <i>Diss. jurid.</i> de potestate superiorum, in mutandis vltimis voluntibus <i>inaug.</i> HIERONYMI ECKEBRECHT. | XII. MARTIN. CHLADENII <i>progr.</i> Jrenæi Elpistii de eligenda religione commenta excutiens. |
| VI. JO. FRID. WUCHERER <i>progr.</i> de studio physicæ dogmaticæ, cultori sapientie admodum necessãrio. | XIII. <i>Diss. Theol.</i> de iure decidendi controuersias theologicas <i>Præf.</i> GE. FRID. SCHROEER. <i>inaug.</i> JO. GUILL. JANI. |
| VII. <i>Diss. histor. theol.</i> de colloquiis charitatiuis sæculo XVI. per Germaniam irritò euentu institutis <i>Præf.</i> JO. FRANC. BUDDEO, <i>Resp.</i> HENR. CONR. AREND. | |

Cum priuileg. Sacr. Reg. Mai. Pruss.

HALAE MAGDEBVRGICAE 1719.
SVMTV NOVI BIBLIOPOLII.

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE

ANNI MDCCXIX.

SECTIO PRIMA.

I.

PROGRAMMA,

DE

METAMORPHOSI FILII DEI QUINQUE ORATIONI-
BUS HABENDIS PRÆMISSUM

A

CHRISTOPHORO AUGUSTO HEUMANNO *Gymn.*

Inspect. & S. Theol. Prof.

Gottingæ a. d. VIII. Jan. plag. 1.



Titulo occasionem dedit Pauli Apostoli
locus Philipp. II. 6. 7. quem luce phi-
lologix doctissimus Auctor illustrat.
Cumque in illo loco occurrant inter-
pretum dissensiones concertationesq;
de voce *ἀβραάμ* ibidē obuia, suas de
eo sententias expromere ipsi placuit.
Exponit igitur primo quid per *μορφῆ*
intelligendum sit. Nempe designat hoc
vocabulum externum statum, adeoquo *μορφῆ θεῶ* in illo loco
significat maiestatem illam, qua filius Dei exsplenduit ante,
quam homo nasceretur, quum nullius rei indigus, omni-
bus ad beatissimum vitæ genus necessariis rebus summe
affluens, splendidissimo angelorum sodalitiio stipatus, adeo-
que fruens beatitudine perfectissima, ante orbem conditum
(1) Bibl. Acad. 1719. A viueret.

viueret. Quam maiestatem initium Euangelii Ioannei, tamquam huius loci luculenta paraphrasis, aperte & perspicue declarat. Iam facile apparet, quid *μορφή δέλης* delignet, nimirum vilem illam personam, quam filius Dei homo factus sustinuit.

Porro indicat quid sibi velit Apostolus, Christum scribens deitatem suam non habuisse pro *ἀεραγμαῶ*. Doctissimo auctori nostro videtur Dannhauerus omnium rectissime vidisse, cum Pauli verba sic reddidit: *iactauit suam maiestatem*. Quippe Mericus Casaubonus docuit per *ἀεραγμαῶν* innui spolia, quæ victores gloriose circumferre solebant, iisque in sui admirationem rapere conabantur spectatores. De hoc ritu pauca ex antiquis auctoribus apponuntur. Deinde locum ipsum Paulinum sic *παράφρασις*: Filius Dei omnē maiestatis splendorem exiit, nec more triumphantium *μετὰ πολλῆς φαντασίας*, seu, vt Nepos loquitur, magna ambitione e caelo in hunc orbem processit. Addit, in sententiæ suæ confirmationem, quod apud LXX. interpretes *ἀεραγμα* non semel pro præda ac spoliis accipiatur, & quod Herodianus duobus locis vocabulum *ἀεράζων* de militibus prædam facientibus & spolia hosti detrahentibus adhibuerit.

Hæc est summa eorum, quæ doctissimo viro in hunc locum commentari nunc placuit: quæque nobis valde se probant. Addimus, cum venia doctissimi viri, locum Plutarchi in vita *C. Marc. Coriolani* p. 217. B. Sermo est de Coriolis captis, vbi milites victores occupati erant spoliis cogendis, de qua occupatione, Plutarchus vocabulo *ἀεραγή* vtitur: *τῆς πόλεως ἀλεύσεως καὶ τῶν πλείστων ἐν ἀεραγαίᾳ θήτων*.

II.
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
LEGATO COLLEGIO RELICTO

Præf. MELCH. DETHMARO GROLMANN, *JCo.*

Auctor. FRIDER. LEOP. DILLENIO, *Werthemens. Franc.*

Dicist.

Gießens. Adv. & Proc. Ord.

mens. Febr. Gießæ. 2 $\frac{1}{2}$ plag.

Duplicis generis esse solent, quæ de eiusmodi argumentis specialibus compositis scribuntur, dissertationes. Aliæ ad elaborandum difficiliore, sed quæ fructus tanto vberiores ferunt, generalia vix attingunt, sed ea tanto accuratius exponunt, quibus thema pertractandum vel ab aliis eiusdem generis distinguitur, vel ita cum illis conuenit, vt tamen non leues dubitandi rationes pro differentia inter illa intercedente pugnent. In aliis perditur opera, dum nihil agitur aliud, nisi quod de specie otiose repetantur, quæ de toto genere lippis ac tonforibus nota sunt. Hac methodo quisquis doctrinam Pandectarum de legatis in genere callet, absque vilo negotio, ne de pluribus dicam, nouem disputationes conscribere posset de legatis iuueni, viro, seni, masculino, feminæ, hermaphrodito, rustico, ciui, nobili relictis, nec tamen quidquam pene dicere, nisi quod de omni legatario generatim, eoque ipso etiam de singulis quos nominavi, diuersæ conditionis hominibus, omnes in iure mediocriter versati norunt, modo sanum sinciput habeant. Isto artificio haud raro auctores dissertationum, seu callidi fucum facere lectoribus studeant, seu ipsi nimia simplicitate seducti idem, modo alio nomine insignitur, pro diuerso habeant, incautos decipiunt, ac pro nouo ferculo cramben nouæ quidem patellæ immissam, sed tamen ad nauream usque recoctam apponunt.

Præfens dissertatio, præmissa rubri interpretatione, qua significatus legati *th. 1.*, collegii relictii *th. 2.* exponitur, legati collegio relictii definitionem *th. 3.* tradit, ac *th. 4. & 5.* explicat, post eaque ita argumentum pertractat, ut neque negligat, quæ illud a legato aliis relicto distinguant, neque satis caueat à proluxa pertractatione generalium, in quorum ad collegium adplicatione nemini iurium cultori sana mente prædito aqua hærerè poterat. Omnino enim operæ pretium erat, sequentia doceri. Quamvis olim collegio, tanquam incertæ personæ legari non potuerit, hodie tamen eidem recte relinquitur *th. 6.* idque etiam tacite contingit, si collegis quid indefinite legetur *th. 9.* his tamen singulis nunquam debetur legatum, sed collegio *th. 12.* Hoc iure vero caret collegium illicitum siue non confirmatum, ut Synogoga Judæorum, licet singulis Judæis legari possit. *th. 13.* Aliquibus etiam collegiis immobilia relinquere specialiter prohibitum est *th. 16.*

Quodsi legatum in arbitrium legatarii conferatur, generaliter quidem interest, utrum legatarius voluntatem suam declarauerit, nec ne. Legatum enim conditionale est, adeoque si legatarius moriatur, tum demum ad eius heredes transit, si se illud velle testatus fuerit. Attamen nemo dubitaret, idem *th. 11.* de collegio utiliter fuisse monitum, modo auctor simul commemorasset, quisnam collegii extincti heres esse possit? id ipsum enim non assequentur omnes, adeoque dubitabunt, annon ius generale hic in collegio exceptionem patiatur.

Cetera per se quidem facile defenduntur. Nam collegia diuiduntur in licita, id est à superiore confirmata, & illicita, id est ab eodem non confirmata *thes. 7.* siue clam siue palam habita fuerint *th. 14.* Legatorum vero collegio relictorum causa efficiens est voluntas testatoris *th. 8.* quæ ut subsistat, iure relictum esse oportet *th. 10. α)* ex dispositione eius, qui testari potest, eique legatum etiam in arbitrium tertii conferre licet *th. 11. β)* collegio facultatem testandi passiuam habenti *th. 12.* ne aut nullum sit legatum, aut,
si

si grauiatus in fraudem legis fidem dederit, fisco cedat *th. 13.*
y) ab eo, ad quem aliquid ex voluntate testatoris peruenit
th. 15. Obiectum esse potest res singularis vel certa bono-
rum portio *th. 16.* Forma accidentalis est, quod legetur pu-
re, in diem, sub conditione, demonstratione, causa & mo-
do. Quod ad erigendum in ciuitate collegium pium, sed
ibi non toleratum legatur, ad alios pios vsus erogandum
est. *th. 17.* Effectus est, quod oneratus teneatur ad præstan-
dum factum aut rem cum omni accessione, ius in re recta
via in collegium transit *th. 18.* Possessionem vero præstat
heres, qui ad id competentibus remediis compellitur, mo-
do Syndicus probet, collegium esse licitum, si heres id ne-
get. *th. 19. 20.* Quodsi collegium morte omnium collega-
rum intereat, antequam dies legati cesserit, legatum infir-
matur *th. 21.* & vel ad substitutum aut coniunctum peruenit,
vel penes oneratum manet *th. 22.* Denique & ciuili interi-
tu collegii, & repudiatione legati, & si minus in eo sit, quam
in debito, & decem aliis modis legatum expirat *th. 23.*
Sed valde vereor, ne superfluum sit, hæc longa Serie
hic moneri. Qui ex eiusmodi scriptis proficere vo-
lunt, generalem collegiorum indolem aliunde perspectam
habere debent. Hac scientia instructi norunt regulam *th.*
21. traditam: *Quod iuris est in priuato, id etiam obtinet in col-*
legiis. Ea vero sola ipsis vice omnium harum ambagum ab-
unde sufficit, modo sensu communi præditi sint, sine quo
frustra in iure erudiuntur.

III.

DE

BIBLIOTHECIS MINDENSIBUS ANTIQUIS ET NOUIS
OCCASIONE ACTUS ORATORII DISSERVIT

IOAN. LUDOLPHUS BUNEMAN, *Gymnasii Rector &*
Bibliothecæ Reg. Mindæ primus præfectus.

a. d. XXI. Martii. *Mindæ* 5. plag.

QUM doctissimus auctor alio tempore de doctis West-
phalis differuerit, & multos haberet quos iam recen-

fitis in tribus de hoc argumento programmatibus adderet: maluit nunc de bibliothecis Mindensibus hanc suam commentationem publico offerre.

Primo de studio in rem bibliothecariam aliqua promit, quod vel scriptores aliqui, vel magni patroni & litterarum munifici promotores ipso facto testati sunt: quod inter magnas nostri sæculi felicitates merito reponitur. Deinde ad exponendas rationes & fata bibliothecarum, quas vel olim Minda habuit aut quarum reliquæ super sunt aut denuo colliguntur, se conuertit. Verosimile videtur cathedrali ecclesiæ olim eximiam fuisse bibliothecam, & simile institutum ibi viguisse, quod Corbeæ, vbi statutum erat, vt quiuis nouitius in die professionis suæ librum donaret bibliothecæ vtilem & alicuius pretii. Sic deprehendit Cl. auctor cathedralem Mindensium ecclesiam habuisse vltra XXX. volumina actis & instrumentis publicis conscripta, ex quibus vix quatuor singulari fato supersunt, sæculis XIII-XVI exarata. Exstant sane testimonia de Milonis, episcopi XII. & de Siegeberti episcopi XIV. studio in libris pretiosos huic ecclesiæ donandos. Sequitis temporibus annua a capitulo summa pro bibliothecæ augmentis destinata est: immo probari potest Ao. 1636. fatis fuisse instructam bibliothecam: deinde accessiones plures habuisse ex bibliothecis aliarum ecclesiarum & monasteriorum vt & priuatorum in illam delatis. Sed ita hæc antiqua bibliotheca cum illis accessionibus periit, vt ne catalogus quidem hodie supersit. Ex deperditis aliquos libros nominat auctor, inter quos est Hermanni Lerbecii MSS. quod periisse dolet, & simul spem facit huius chronici a se ex ipsis originalibus litteris quam pluribus locis restituendi. Hodie ex integra bibliotheca, aliquot millia librorum olim complexa, vix centum volumina supersunt. Ex his XXI. codices MSS. titulis suis indicat, aliquos etiam latius describit, omnes fere argumenti sacri, præter vnum fragmentum libri rythmici germanici de Aenea.

Ab

Ab ecclesia Cathedrali transit doctissimus auctor ad Monasterium S. Mauricii & Simeonis in Minda, quod S. Benedicti regulam obseruat. Eius bibliothecæ recensentur primo quidem codices manu exarati, tum vero etiam impressi antiquissimi. Occasione data annotatur Henricum de Heruordia sic a patria Heruordia Westphaliæ dici, eundem Mindæ in monasterio S. Pauli vixisse, ibidem obiisse A. 1370. & iussu Caroli IV. Imperatis, Mindæ tum præsentis, in templo S. Pauli septem annis post honoratus esse depositum; Historiam vero vsque ad annum 1355. produxisse, quum alii erronee annos 1455. & 1255. tradiderint. Impressorum librorum, quibus nullus annus adscriptus est, bene multi recensentur, & de quibusdam significatur omnes notas vltimæ antiquitatis in illis conspici. Ex illis, quibus annus est adiectus, vetustatem maximam habent Gratiani decretum 1471. & Thomæ secunda secundæ 1472. impressa.

Deinceps de noua bibliotheca regiminis Mindensis auspiciis in communem & publicum vsum erecta agitur. Huius prima fundamenta iecit Perillustris Heros Dominus. *Perrus Christophorus ab Osten*, cuius exemplum sequuti plures proceres & eruditi contulerunt donaria, quæ ex parte referuntur. Quumque plurimum munificentiam expectare liceat, doctissimus Auctor opera potiora quædam commemorat, quæ in bibliothecam hanc transferri optaret. In fine pauca addit de suæ priuatæ bibliothecæ quibusdam rarioribus codicibus manu exaratis. In his sunt quinque tomi epistolarum partim autographarum, partim ex his descriptarum, quarum auctores aliquos nominat. Tandem rationem programmatis huius reddit & ad audiendas orationes inuitat.

IV.
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
THESAURO ARTE MAGICA INVENTO

Præfide IO. BERNH. FRIESE, Jcto,
Respond. IO. HIERON. HERMANNO, *Zepolitano,*
Cal. April. *Jena.* 4. plag.

Quamvis nollem cuiquam peccandi occasionem præbere, minime tamen religioni ducere, etiam si res plurimas pretiosas magicis artibus inueniri certus essem, publice omnibus indicare hunc *ingenii thesaurum*, quod nomen doctissimus auctor respondens suæ dissertationi in *dedicatione* tribuit. Ita enim, ipsius liberalitate, omnibus obuius, est, ut nemo illicitis ad possessionem illius obtinendam mediis opus habeat. Fateor argumentum olim adeo intricatum mihi visum fuisse magnorum ingeniorum disidiis, ut ad illud humanis viribus pertractandum & præclara indole & maxima scientia opus esse crediderim. Nunc vero utramque ab auctore in hac dissertatione magnopere adhibitam fuisse spondere non ausim, minime tamen dubito, nullo nisi naturali auxilio aduocato omnia fuisse elaborata. Idem, credo lectoris erit iudicium, si paucis contenta retulero.

Cum a titulo *a. l. 1. pr. d. reb. cred.* incipiendum sit *th. 1.* notatur, thesaurum in Pandectis Florentinis & alibi thesaurum vocari *th. 2.* Vox hæc à Græcis orta *th. 3.* varia synonyma habet *th. 4.* originemque dedit vocabulo thesaurarii & thesaurizare *th. 5.* ac varia denotat, in primis veterem pecuniæ depositionem *th. 6.* Ars magica idem est quod magia *th. 7.* inuentum, quod reali apprehensione occupatum *th. 8.* Hic agitur de thesauro magica arte inuento, *th. 9.* id est, in quo effodiendo scelerata ac puniendæ sacrificia, aut aliæ quælibet artes legibus ex osæ adhibentur

tur *th. 10.* Ad hoc scelus tria homines inuitant auaritia, otium & anxium diuitiarum studium *th. 11.* Itaque thesauros magicis artibus quærunt auari, desides & diuitiarum cupidi: accedunt erronee thesauri fossores, qui alios pecunia emungunt, à quibus cauendum esse Ahasuerus Fritschius dixit, & Tragicus casus Jenensis anni 1615. docet *th. 12.* Thesaurus ita inuentus ad fiscum pertinet, aut dominum loci, si is innocens sit *th. 13. 14.* si fundus venditus, licet nondum traditus sit, ad emptorem *th. 15.* à quo nec venditor vltra dimidium læsus dici potest. *th. 16.* Si fundus cum iure antichriseos oppignoratus sit, thesaurus debitori cedit *th. 17.* in fundo dotali vxori *th. 18.* in dotalicio heredibus *th. 19.* in feudo domino directo *th. 20.* Quæritur ergo de thesauro, cuius definitio traditur & exponitur *th. 21. 23.* Ad modum eundem magicis artibus inueniendi pertinet citatio spirituum, quam docet magia Pigmæorum, Oraculum Chrystallomanticum, Melani Monachi Processus coniurandi spiritus, M. Bufini philosophia arcana physica, Alberti Magni nigromantia, & alii eiusmodi libri, quorum centum & quadraginta septem paucis abhinc annis Lipsiæ 3000. thaleris venditos fuisse refertur *th. 24.* porro radix, nomine paralius *Spring-Wurzel* *th. 25.* globi inuentiones, *Find-Kugeln* *th. 26.* virgula diuinatoria communiter pro licito instrumento habita *th. 27.* ab aliis tamen ad magicas artes relata *th. 28.* quos & auctor sequitur, quia superstitiosum est creaturis maiores tribuere vires, quam à creatore acceperunt *th. 29.* Finis est aut auaritiæ, aut vanæ maximarum diuitiarum spei expletio *th. 30.* Eam vero sæpe impediunt extrema animi & corporis pericula *th. 31.* quæ si videntur, tamen capitalis poena imminet, quod præiudicio Carpzouiano illustratur *th. 32.* Thesaurus inuentori ademptus restituitur domino prædii, nisi mores fiscum præferant *th. 33.* Tu lector thesaurum tibi in coelo reconde. *th. 34.*

Quæstionem an detur thesaurus arte magica inuentus? itemque differentiam, quæ *th. 11. 12. & 30.* inter auaritiã &

(1) Bibl. Acad. 1719.

B

anxium

anxium diuitiarum studium innuitur, nec non argumenta, quibus demonstratur, quod ipsum in quaestione esse multis videbitur, virgulæ diuinatiuæ maiores vires tribui, quam à Creatore accepit, vid. *th. 29.* merito silentio prætereo, cum auctor quoque de his quidquam dicere superfluum iudicauerit.

V.

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS

DE

POTESTATE SUPERIORUM IN MUTANDIS ULTIMIS VOLUNTATIBUS

HIERONYMI ECKEBRECHT *Norimberg.*Prid. Non. April. *Altorff.* 6 $\frac{1}{2}$. plag.

Cum maximus sit iuris testamentarii in foro vsus, auctor se quoque sibi ex eo thema elegisse ait in *prooem.* quod ita exequitur, vt *cap. 1.* generalia & regulam de seruandis vltimis voluntatibus tradat, *cap. 2.* vero exceptiones, quibus illæ mutari possunt, colligere tentet.

Voluntas ergo hominis libera & inconstans est *cap. 1.* §. 1. maxime in testamentis, quæ adeo nemo sibi ipsi reddere potest irreuocabilia, vt mutationem nec iusiurandum testatoris impediatur, quoties iusta causa post ea demum vel oritur vel ad eius notitiam peruenit, nec pactum regulariter: exceptio enim occurrit in pactis confraternitatis ac dotalibus in vim contractus conceptis. §. 2. Itaque vltimæ voluntates pro lubitu mutari possunt à testatoribus viuus, illis vero mortuis sanctè ab aliis seruari debent, vnde Baldus dixit, debere nos sectari voluntates testatorum, sicuti canes leporem §. 3. Modo tamen testamenta in leges haud impingant §. 4. Rite condita etiam à superioribus defendi oportet, quemadmodum magistratus tutorem testamen-

ro

to minus solemniter datum ex iuris necessitate confirmat §. 5. Ius enim quasitum est subditis per concessam testandi facultatem, licet eam non ius naturale largiatur, sed beneficium legis ciuilibus, quæ ipsa non nisi per modum legis nouæ ciues vniuersos comprehendens tolli debet. §. 6.

Potest tamen aliquando superior vel alius competens iudex voluntatem iuste & rite testati mutare ex iustis causis *cap. 2. §. 7.* Quæ quidem omnes enarrari non possunt, potissimum tamen eo redeunt, si testamenti executio salutem publicam, religionem vel honestatem lædat. Quo casu minime illud tuebuntur dirisimæ execrationes, quæ præter enixæ voluntatis testationem nihil operantur §. 2. Igitur *D) salus publica* suprema lex est, qua urgente testatoris voluntatem mutare potest Imperator, status imperii, & ubi periculum in mora est, ex præsumpto principis consensu quilibet magistratus. Ea; ratio fuit abolendi dispositionem Ludou. XIV. testamento confirmatam, qua filiis eius naturalibus in subsidium ius succedendi tributum fuerat. Salus enim publica supra sanctimoniam Principis est, nec minus supra sanctitatem rerum, vt & ea, quæ Deo vel Ecclesiæ relinquuntur, aliis vsibus applicari possint, si hoc populi salus desideret §. 3. Quare *(a)* mutanda est vltima voluntas, qua hæreditas vel legatum relinquitur hosti, siue iam tempore conditi testamenti, siue post mortem testatoris declarato, ac vtrique relictum tanquam indigno auferendum & fisco applicandum §. 4. Ex eodem principio etiam *(b)* fideicommissa familiæ non attento testamento fisco occupat, quoties testator vel possessor perduellionis reus est: postremo tamen casu illud cognatis restituendum est, quamprimum ipse perduellis ac tota ipsius posteritas extinguitur, ad exemplum feudi feloniam in ipsum dominum commissam amissi. Nec minus *(c)* mutatur testamentum, quo prædium peregrino relictum est, quoties ei non permittitur immobilia possidere. Denique *(d)* ad tollendas inextricabiles rixas & odia vltima voluntas euacuari potest §. 5. II) Te-

stamenta recte à superiore mutantur favore *religionis recepte*, quoties illorum executio huius exercitium impediret, vel cultum improbatum promoueret §. 6. Quo casu relicta ad alios vsus sacros transferenda sunt, nisi publica necessitas & utilitas ea profanis vsibus applicari iubeat. Tum enim qualitas rei sacrae per episcopum ceremoniis nonnullis adhibitis delenda est, quibus ambagibus Protestantes non habent opus §. 7. Sed quid, si reditus ad certum pium vsum relicti non sufficiant? Si restrictio saltem demonstrationis gratia facta, cetera ex reliqua hereditate supplenda sunt. Sin limitatio taxationis gratia accesserit, legatum ad proportionem fructuum redigi, vel in alium vsum mutari debet. §. 8. Condicio vero mutandae religionis, tanquam turpis pro non adiecta habetur. §. 9. III) *Honestas publica* mutari iubet testamenta contra bonos mores ac decorum ciuitatum disponentia. Vnde corrumpunt conditiones turpes, & ad vsum inhonestum relicta in alium honestum conuertuntur §. 10. Pariter adiectiones derisoriae ac aliae ineptae, vid. l. 9, 14, 15. & 27. ff. d. *condit. institut.* l. 13. §. ult. ff. d. *Leg. 1. l. 40. §. 2. ff. d. aur. & arg. leg. l. 14. §. 5. ff. d. relig. & sumt. fun. l. 7. in fin. d. ann. legat.* merito negliguntur §. 11. Generalibus hisce fundamentis mutationis porro accedit 1) utilitas priuata, sed tantum in casibus expressis l. 7. §. 1. ff. d. *admin. tut. l. 14. §. 6. ff. d. relig. & sumt. fun.* 2) dolus & metus, 3) error testantis, quo & referri potest mutatio circumstantiarum, quam si praesciuisset aliter dispositurus fuisse praesumitur. Exemplum suppeditat l. 8. & 10. ff. *de confirm. tut.* si bonis lapsus esse, vel mores deprauasse deprehensus est, quem pater, sine dubio fiducia facultatum & probitatis, testamento tutorem dederat §. 12.

Argumentum elegans est, sed cum omnia cedant publicae utilitati, de qua summæ potestatis est iudicare, difficile videtur, ius ipsius mutandi supremas voluntates certis regulis adstringere. Auctori quoque doctissimo pauciora fuissent dicenda, nisi vltimarum voluntatum omnibus modis

dis

dis perfectarum & iure factarum vid. *cap. 2. §. 1.* significatum atque adeo etiam regulæ de illis sanctè seruandis limites valde extendisset, quo ipso amplum exceptiones illi vicissim subiiciendi campum sibi aperuit. Alius conditiones ac modos turpes, dispositiones dolo, metu, errore elicatas, adiectiones derisorias &c. inter ultimas voluntates omnibus modis perfectas & iure conditas forte non retulisset, ideoque nec summæ potestatis plenitudine ad illas mutandas opus esse credidisset. Sed hoc leue est.

In rebus ipsis consultissimus auctor aliorum celeberrimorum Ictorum sententiam plerumque secutus est, ipsorumque auctoritatibus assertiones suas muniuit. Quare meum non est, de veritate thesuum pridem in vtramque partem ventilatarum disputare. Id vnum monebo, me non omnino capere connexionem eorum, quæ *cap. 2. §. 4.* traduntur. Ibi in eo est auctor, vt prolixè tucatur, hostem patriæ heredem scriptum non tam pro incapaci, quam pro indigno habendum, adeoque hereditatem non successoribus ab intestato, sed fisco vindicandam esse, quod in medio relinquo. Ibidem vero *pag. 27. & 28.* asseruisse videtur, eiusmodi testamentum in totum mutari, nec ex eo quasi destitutum quicquam valere debere. At ego putaueram, expectati iuris esse, quod quoties fiscus indigno aufert hereditatem, cetera testamenti capita salua sint, nec heredis calamitas legatariis ac fideicommissariis noceat, sed successio in fiscum transeat cum eodem onere, quod indigno fuerat adiectum. *L. 12. l. 16. §. vlt. ff. d. his que vt indign. l. 3. §. vlt. ff. ad Sc. Trebell.*

VI.

IO. FRID. WUCHERER, *Prof. phys. dogmat. P.*
PROGRAMMA PHILOSOPHICUM

DE

STUDIO PHYSICAE DOGMATICAE, CULTORI SAPIENTIAE ADMODUM NECESSARIO,

d. 16. Apr. *Jenæ 1². plag.*

Q uam quisque callet ac profiteatur artem, eam & laudat
B 3 ple-

plerumque, & ab usu ac necessitate commendat aliis diligenter, quod ipsum ut plane culpari non debet; ita ab sui ratione muneris nequaquam abhorre, CL. Programmatis auctor iudicavit. Quumque ex Verulamii sententia Physica dispescatur in *speculatiuam* & *operatiuam*, is genere hoc diuisionis usus naturalem philosophiam, eamque *dogmaticam* a contentu vindicaturus est, quantæque eius cultura sit necessitatis, *clarissimis* ostensurus argumentis. Sunt, qui nihil in doctrina physica profici *speculationibus* existimant, quod quidem si de inutilibus intelligatur & otiosis, non de iis, quæ ex rerum natura ac earum peruestigatione intimiori petuntur, omnino est verissimum. Fuerunt etiam, & adhuc sunt, qui recte quidem autumant, placita Aristotelico-Scholastica veritatum naturalium normam esse neutiquam debere, at perperam ideo, quod vident, alios eo laborare præiudicio, ipsum physices studium negligunt. Alii tandem spectaculum in physicis iucundum querunt, de principiorum inter se nexu, fluentibusque ex iis conclusionibus certissimis, eidentissimis, iucundissimisque parum solliciti, quum tamen non oculos tantum, sed animum quoque fatiet, quæ est in physicis rebus sapientia. Necessitatem naturalis scientiæ complures exposuere, ac aut sermone, aut re ipsa & applicatione sua demonstrarunt, quantopere eo caperentur studio. Quo in numero sunt Plato, Aristoteles, Epicurus, Verulamius, Cartesius, Gasendus, Tschirnhausenius, Newtonus, Stairius, Mariottus, Hamelius, Leibnizius, Keillius, Hartfoeckerus, Sturmius, Hambergerus, Muysius, Andala. Vix vero vilis doctorum ordo aut facultas est, quæ naturali doctrina plane possit carere. Ita in *theologia naturali* argumenta potiora, quibus Dei existentia, essentia, prouidentia & perfectiones reliquæ probantur, e physicis petuntur doctrinis. Sic liquido Numinis existentia a motu ducto argumento probatur, namque si moueri nihil potest, nisi ab alio moueatur, non erit, vnde motum deriues, nisi primum admittas motorem, quum

quum corpus omne omnis expers sit motus, nisi is ab alio communicetur. De Cartesio quidem aliqui, interque illos CL. *Rudigerus* dicit, non ferio ipsum Deo motus impressionem attribuisse. At vero licet Cartesius male formationem humanae machinae totam ad mechanismum reduxerit, ferio tamen Deum ad motus impressionem requisivit, quia ad hanc opus fuit omnino Deo sapientissimo, sanctissimo, potentissimo, minorque sapientia rei, omni plane motu destituta, aetivitatem largiri non potuit, nec, quod gratis supponit *Rudigerus*, aliquis solum sapientia spiritus mundi ad motus impressionem sufficit. Nam nisi existentia Dei supponatur, non erit, unde spiritus mundi trahat originem, ac nisi ens mouens primum existat, unde vires ad motum necessariae deriuentur, non habebimus. Aetivitatem quidem aliquam materiae tribuunt Newtonus, Leibnizius, & qui horum pronuntiata oraculorum loco habent, in eo tamen videri volunt consentire, confugiendum esse tandem ad vim quamdam diuinam, a qua aetivitas sit materiae indita, quae si concedatur, ad Numen recta ducit ipsius materiae consideratio, nec mechanismus tollerere poterit causam primam, cui leges mechanicae debentur, nec materiae aetivitatem, nullo habito respectu ad causam primam, a se sola profectam vllus vmquam philosophus demonstrabit, agnoscendaque omnino causa aliqua, mouendi inertiam a materia auferens, quae praeter Deum alia esse nequit & progressus in infinitum nulla, ne verosimili quidem, ratione nititur. Structura porro corporum maxime mirabilis *existentiam* Dei demonstrat, nec finium peruestigatio de ea dubitare quemquam patitur. ab eadem structura ordine & nexu rerum desumpta argumenta etiam *providentiam* Dei indicant, & qui intellexerit probe, quidquid est rerum naturalium, Numinis diuini loqui *existentiam* pariter ac *providentiam*; facile etiam admittet cultus diuini & interni & externi, necessitatem. Ex his igitur *Physicae dogmaticae* patet necessitas. quum enim omnes verae sapientiae cultores, ad Deum referre debeant actiones suas,

spe-

speculationibus etiam iis inhaerere ipsos oportet, quæ manu quasi ad Deum ducunt, quod nostra ætate fieri vel maxime debet, vt obuiam eatur hominibus nullius religionis ac ad corrumpendos alios natis. Si doctrinam *Eibicam* spectemus, adfectuum motus corporeos nemo intelliget rite, nisi sanguinem, spiritus animales seu neruorum succum, & quæ huc pertinent, cognouerit. ipsæ adeo mentis facultates lucem a physices studio foenerantur, quæ nempe commercium cum corpore habent, & ministerio cerebri, spirituum ac sanguinis adiuuantur. *Iustum* quoque *naturale* & *ciuile* Physicam requirit. Dum enim ad Deum ducit Physica, ad vinculum etiam obligationis simul ducit, quo homines continentur, iussusque diuinus iusti omnis origo est, quum obedientia quoque, iussui ciuili debita proficiscatur ex reuerentia iussus diuini, quo imperantium nititur auctoritas. Jureconsultis quum sæpe de infantidis, foetu præmaturo, abortu studio procurato, vulnerum lethalitate, similibusque casibus iudicandum sit, animalis oeconomiae studium illis non potest non & utile esse, & suo modo necessarium, Medici quidem a Jctis, & recte, vocantur in auxilium, at si imperiti sint rerum naturalium, nihil in iis erit consilii, sin gnari, rectius illorum variis de casibus latum iudicium poterit intelligi. *Medicis* vero ipsis quam sit necessaria physica scientia, clare patet. *Theologos* iuuat mire eadem doctrina, quod plurima in sacris litteris occurrunt, quæ eius ope clarissima redduntur, alioquin admodum difficilia. Scientiarum *cultores omnes* Physices studium a superstitione liberat, eaque imbuti scientia non terrentur ignibus fatuis aliisque meteoris, comets non turbantur, qui a creationis initio exstiteret, mala non significantes sed sola comparitionis raritate credulis iniicientes terrorem. Ea Physices conditione motum se fuisse ait CL. auctor, vt animum ad conscribendam *Physicæ diuinæ delineationem* adpelleret, eamque, propediem typis excuscribendam, publicis disputationibus excusurus sit. *Diuinam* dicit Physicam, non quasi theologica futura sit ipsius

ipſius delineatio, & e. S. S. probationes putet deſumendas, quod ſine rationis & reuelationis confuſione fieri haud poſſit: ſed quia e ſcientiis philoſophicis phyſica ſola exponat leges diuinas & ab ipſo Deo conditas. Methodi ratione, Verulamii conſilium ex parte ſequetur, *generalemque* delineationis partem *ſpecialis* excipiet. Summa libri capita erunt iſthæc: *Proemialis* tractatioaget (1) de inſtituti cauſſa mouente, ac methodo. (2) De certitudine ſtudii phyſici. (3) De ſapientie veræ & philoſophiæ naturalis nexu inſeparabili. (4) De phyſicæ diuinæ definitione. (5) De philoſ. naturalis fatiſ & ſcriptoribus potioribus. *Tractatio* ipſa duabus abſoluetur partibus; *generali* & *ſpeciali*. Partis *generalis* ſumma erit: *Deus creauit mundum*. c. 1. de mundi origine. c. 2. de mundi creati finibus. c. 3. de corporum mundi proprietatibus, quarum iterum ſubdiuiſio fiet ſpecialior. Partis *ſpecialis* ſumma erit: *Deus creauit cælum & terram*. SECTIO I. de cœlo, quatenus eſt complexus corporum, in cœlo exiſtentium. c. 1. de cœlo in genere. c. 2. de corporibus cœli & efficacia illorum. c. 3. de diuerſis mundi ſyſtematibus. SECTIO II. de terra, quatenus eſt complexus rerum ad terram ſpectantium. c. 1. de elementis. c. 2. de meteoris. c. 3. de foſſilibus. c. 4. de plantis. c. 5. de brutis. c. 6. de homine. c. 7. de manuſductione ſtudii phyſici ad Dei exiſtentiã, prouidentiam, cultum, internum & externum.

Reſpondentium vice fungentur CASPAR CABISIUS, *Mega-Brembacenſis-Vinar*. GEORG. GODOFR. KEUFEL, *Wolffsburgo-Magdeb*. NATHAN. SKODEISKY, *Riga-Liu*. GEBH. LUDOLPH. KRAUSE, *Stendalia-paleo-March*. JO. CONR. MAUSSELIN, *Rauensburgo-Sueu*. EL. JAGADE, *Olfuēſ. Sil*. ANT. LUDOV. EDLER, *Haga-Weſtph*. JO. BERNH. SATLER, *Brunſuic*. quorum nomina ſub finem commemorantur, & commilitones, vt exercitationibus intereſſe velint, inuitantur.

VII.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

COLLOQUIIS CHARITATIVIS, SAECULO XVI. PER
GERMANIAM IRRITO EVENTU INSTITUTIS*Præside IO. FRANC. BUDDEO. Theolog. D. & P. P. ord.**Respondente HENR. CONRADO AREND, Eistorp. Hannou.
Mens. Apr. Jene plag. 20.*

JAmpridem reip. litterariæ in deliciis sunt lucubrationes celeberrimi BUDDEI, in quibus & multa lectio & interioris theologiæ notitia, & insignis orationis nitor vbique elucet. Talis etiam est, quam de colloquiis Sæculi XVI. ecclesiasticis edidit, quamuis Respondens, suo Marte id opusculum adornasse, videatur. In eo vero præcipue versatur tota dissertatio, vt, plerosque illos confictus fructu suo caruisse, euincat. Id quod tribus capitibus per inductionem, vt vocant philosophi, demonstratur.

Primo capite, quod *proamii* loco est, nonnulla de conciliis & colloquiis generatim disserit auctor, obseruatque §. 2. originem concilia debere Iudæis, quamuis & alias gentes, & inprimis Romani, concilia Reip. causa coisse fateatur. Horum exemplo christianos primis statim temporibus, obortis subinde controversiis, concilia conuocasse, & de communi re ac disciplina ecclesiastica consuluisse in medium. §. 3. Crescente a Constantini M. temporibus ecclesia, creuisse etiam dissensionum numerum, atque hinc ex eo tempore frequentissime conuocata esse concilia. §. 4. eaque vel vniuersalia, vel particularia, & hæc iterum vel prouincialia, vel diocesana fuisse. §. 5. Addit nonnulla de conuocandi habendique concilii ritibus, iisque ex meri-

to laudatis. §. 6-8. disquirat, quid sit, quod tam parum fructus inde ceperit ecclesia? Causam præcipuam hanc fuisse ait, quod ea mansuetudine, quæ Christianos decet, non semper vsi sint Patres. §. 9. Denique obseruat ex eo tempore, quo Constantiæ & Basileæ conciliorum auctoritas super ipsius Pontificis decreta euecta sit, Romanos Episcopos paullo difficiliore esse ceperit in permittendis conciliis. Neque enim dubium fuisse, quin superstitione illa papalis sensim in ecclesiam inuecta vno ictu corrumpitur fuerit, si Pontifices liberum conuocari passi essent concilium. §. 10.

Reuersa sub reformationis tempore veritate, scissaque in partes ecclesia, quam de concilio inter dissentientes non conueniret, sæpe principes tentasse concordiam eoque consilio commisit vtriusque partis theologos, vnde nata sint colloquia illa ecclesiastica vel charitativa. §. 11. Quum vero nec sic quidem coiret vulnus, multos fecisse periculum, an scriptis henoticis vel irenicis concordia in integrum possit restitui. §. 12. Ad colloquia Sæculi XVI. quod attinet, ea varie dispescit auctor. Alia enim esse antipontificia, alia anticaluinistica, alia antianabaptistica, alia defensiva veri, alia destructiva falsi, alia priuata, alia publica auctoritate indicta. §. 13. Necessaria illa fuisse concedit, nec fructu caritura putat, si veteris ecclesiæ exemplo iusto studio vnitique ardentissimis precibus fuissent instituta. §. 14, 15. Sed quod pleraque tamen fructu caruerint, id neglecto pietatis studio tribuit. Ex eo enim fonte promanasse philautiam, & arrogantiam, nec non precum neglectum, confusionem, vincendi studium, lites & obiurgationes, disputationes jejunas, moras in rebus nihili factas, quæ omnia non passa sint, vt, quem sperauerat, fructum ecclesia ex colloquiis caperet. §. 16. Non ergo irriti istius euentus causas quærendas esse in neglecta forma syllogistica, siquidem in concilio Hierosolymitano syllogismus nemo vsus sit; §. 17. nec cum Mosellano existimandum.

dum, pacem ecclesiasticam orando potius, quam colloquendo, esse impetrandam. Interim tamen ob abusum sæpe conquestos esse viros grauissimos de irrito colloquiorum euentu, nec adeo æquam de colloquiis tulisse sententiam. Miratur etiam colloquia virorum politicorum feliciorum habuisse successum, quam theologorum §. 18. sed nos id miramur; Auctorem huc traxisse, quod Christus Luc. XVI, 8. ait: *Filii Seculi huius prudentiores sunt, filii lucis in generatione sua*; quasi viri politici minus, quam theologo, *sic rē Quæris* adpellari possint, quos sane non professio, sed fides & pietas facit.

Caput II. historiam colloquiorum inter potestantes & pontificios Sæculo XVI. institutorum sistit, quo refert Heidelbergense 1574, Augustanum primum anno 1574, Lipsiense primum anno 1574, Homburgense, 1574, Augustanum secundum 1574, Lipsiense secundum 1574, Wormatiense primum, anno 1574, Ratisbonense primum anno 1574, Ratisbonense secundum 1574, Wormatiense II. anno 1574, Badense 1574, & Emendingense 1574. Verum facile apparet, esse ab eo nonnulla omissa, licet maximam partem in Germania habita, veluti colloquium inter Lutherum & Archiepisc. Treuerensem Wormat. 1574, Colloquium Nordense 1574. Colloquium Vpsaliense 1574, Fuldense 1574. Colloquium Stutgardense anno 1574. Inter Lucam Osiandrum & Gregorium de Valentia. Potuissent etiam nonnulla accuratius narrari. Quod vel vno exemplo colloquii Augustani inter Lutherum & Thomam Vio de Caietano anno 1574. habiti ostendemus. Ait auctor, Caietanum in Germaniam venisse, vt Albertum Moguntium Cardinalem publice denunciaret. Sed aliam fuisse legationis causam, & hoc negotium Caietano tantum obiter esse datum, satis ostendit instructio Leonis Pontificis, quæ exstat apud Od. Raynaldum in Continuat. Annal. Baron. ad ann. 1574. Ait de-
inde,

inde, Maximilianum ad Papam dedisse litteras & efflagitasse, vt causam susciperet excutiendam, hunc vero statim in Germaniam mississe Hieronymum Episcopum Afculanum, qui Lutherum denuo Romam citaret. Enimuero multipliciter hic quidem lapsus est auctor. Primo enim citatio illa non altera, sed prima erat: deinde eam ediderat Pontifex, priusquam Maximiliani litteras accepisset, denique Hieronymus ille Afculanus Episc. non in Germaniam missus est, sed Iudex vna cum Syluestro Prierate datus a Pontifice. Quæ omnia Auctor vel ex Lutheri tomis, quos allegat, rectius discere potuisset. Reliquas etiam circumstantias non adeo accurate exponit noster, quod potuisset, si vel Seckendorffii Historiam Lutheranismi adhibuisset in consilium. Facile etiam in reliquorum colloquiorum historia similia notari possent, si charta permitteret. Accuratius tamen procul dubio de his omnibus aget D. Io. Mich. Heineccius noster, quem serio per aliquot annos hoc faxum voluere non ignoramus.

Denique *cap. III.* sistit historiam colloquiorum inter ipsos Protestantes frustra institutorum, veluti Flensburgensis, $\text{C}1010\text{XXXIX}$, Marpurgensis $\text{C}1010\text{XXXIX}$, Wittenbergensis $\text{C}1010\text{XXXVI}$, Heidelbergensis primi $\text{C}1010\text{LX}$, Maulbrunnensis $\text{C}1010\text{LXIV}$, Jeuerensis $\text{C}1010\text{LXXVI}$, Hertzbergensis $\text{C}1010\text{LXXVIII}$, Heidelbergensis secundi $\text{C}1010\text{LXXXIV}$, & Mompelgartensis $\text{C}1010\text{LXXXVI}$. Verum & hic addi nonnulla alia potuissent, maxime si extra Germaniam expatiari placuisset, veluti Tubingense $\text{C}1010\text{XXXV}$. apud Arnold. supplem. zur Verbesserung der Kirchen oder Ketzler Historie p. 151. Vracense $\text{C}1010\text{XXXVII}$. ap. Fischlin. in supplem. ad Memor. theol. Wurtenb. p. 8. Hagenoense apud Seckendorff. p. 294. sequ. edit. 4. Sandomiriense $\text{C}1010\text{LXX}$, Eperienne $\text{C}1010\text{XCIII}$. Keysmarckense $\text{C}1010\text{XCV}$, Leutschouienne $\text{C}1010\text{XCVII}$. & alia. Sed & hic eruditissimus auctor non ita rem omnem exhaustit, vt non post hanc messem magnum supersit spicilegium. Attamen finem habuit ob

oculos, semperque ostendit, colloquiorum omnium irritum fuisse successum, in cuius rei causas non sine cura inquirat. Denique sub finem inde colligit, quæcunque adhibeantur media, frustra tamen sperari concordiam, nisi alia fiat hominum rerumque facies. Eam vero à Deo, ecclesie statore, boni omnes indefessis precibus nunquam non flagitabunt.

VIII.

PROGRAMMA

GEORGII ADOLPHI SCHUBERTH D. & P. P.

DE

MERITIS ELECTORIS AUGUSTI IN JURISPRUDENTIAM SAXONICAM.

d. 21. Maii. *Lipſie*. 2. plag. fol.

Meruit doctissimus auctor professionem iuris Saxonici & lectionis Pandectarum cursorie ordinariam in academia patria Lipsiensi. Eam igitur à potentissimo Poloniae rege & electore Saxonie sibi demandatam d. 24. Maii auspiciatus est solenni oratione de *Saxone interprete & protectore iuris Saxonici*, quod ius ab aliquibus ex privilegio aut consuetudine vel Burggraviatu Magdeburgico, ab ipso ex Ducatu & palatinatu Saxonie deriuatur. Ad eam audiendam proceres utriusque republice & academiae ciues hoc programmate inuitavit, quod idoneis auctoritatibus in calce paginarum subiectis, sequentia egregie exequutus est.

Apud prisicos Saxones plus valere boni mores, quam leges scriptae. Conuersa, Francorum auspicio, regiminis facie Saxonici principes gentis consuetudines & pacta in ordinem rede gere, & in grauioribus causis decidendis populi insuper suffragium adhibuerunt. Ita confirmatum & in melius auctum fuit ius ipsorum vetus, minime sublatum à Carolo M. Dignitate electorali ad duces Saxonie deuoluta electores maiorem adhuc iuris Saxonici curam habuerunt,

runt, in primis Ernestus ac Mauritius, maxime autem Augustus. Is enim decisionem litium certam redditurus ius hospitorum definiuit, ordinationem prouincialem promulgauit, tres instantias præfecturalem, curialem & electoralem stabiliuit, priuilegii de non appellando confirmationem & ad omnes principes duces Saxonie extensionem impetrauit, supremum prouocationum consilium ad ornauit, nouam ordinationem metallicam condidit, & molares controuersias definiuit. Præcipue vero conditis constitutionibus electoralibus ordinum de iustitia grauius onerata querelas sustulit. Postea Scabinatum Lipsiensem reformauit, de inhibitionibus & appellationibus sanxit, articulos de ecclesiarum visitatione, ordinationesque ecclesiasticas, scholarum, consistoriorum ac utriusque academiae Lipsiensis & Vitebergensis composuit, nouis ordinum grauaminibus peculiari rescripto consuluit, de nomine concipientis supplicationibus subscribendo speciale mandatum adiunxit, ac denique, ne legibus suis imperiales functiones derogarent, cauit.

Non poenitebit quenquam plura desiderantem, ipsum programma perlegisse. Ego pauca adiciam de argumentis auctoris aduersus illos, qui cum suam de constitutionibus electoralibus sententiam exponunt, naturalem, ut ipse vocat, earum ordinem fastidiunt, & Augusto imputant, ac si nullas prorsus condiderit nouas leges, sed potius omnia ex Romanis placitis decerpserit, ac Iustiniani vestigia secutus nœuos iuris prudentiæ plures inferuerit. *Ut taceam*, inquit, *Augustum, si eius æuo tam immaturum latum fuisset de constitutionibus hisce iudicium, merito profanum Zoilorum vulgus arcuisset, eique accuratiorem legum patriarum inspectionem inuenisset, certe qui differentias inter ius Saxonicum & Iustinianæum intercedentes oculo vel cæcudente intuitus fuerit, primo statim conspectu, quam insignem à ciuilibus sanctionibus Saxonice leges fecerint secessum, apprehendet & quanta cum iniquitate ex Romano iure existimentur transfumta, assequetur.*

auoio

Non

Non is sum, qui eiusmodi disputationem viuo vertam Saxonico doctori, in primis in meritis Augusti in iurisperitiam Saxonicam deprædicandis occupato, vereor tamen, vt alii his rationibus cessuri sint. Nam nunc quidem ipsius legislatoris pridem defuncti indignatio frustra metuitur, nec piaculum est, saltem de legibus ante sesqui seculum latis sententiam libere dicere. Differentias vero inter ius ciuile & Saxonicum superstites facile concedent aduersarii, qui non vniuersum ius Saxonicum, sed ea tantum, quæ Augustus illi nouiter adiecit, ex Romanorum placitis mutuo accepta esse docent.

IX.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MORBIS ANIMI EX ANOMALIIS HÆMORRHAGICIS

Præside D. D. MICHAELE ALBERTI *Consil. Reg. M.
P. P. O. &c.*

*Resp. JOH. WARDENBURG, Oldenburgens.
Hala Mensē; Majo 1719. plagul. 6.*

Procemium. Res creatæ in applicatione discreta tantum sunt vel salutares vel insalutares, alias, quæ huic hodie proficiunt, cras alteri nocent, nisi transcendant rationem numeri, mensuræ, quantitatis, sic san-
guis etiam laudabilis, si sit superfluous, noxius est, necessarium licet ad vitam alias requisitum sit, imo animæ in moralibus quoque sanguis prodesse & obesse potest, quod a connubio animæ cum sanguine dependet, & eius laudabili crasi motu defectu participat quoque anima, & vice versa sanguis alteratur a pathematibus & affectibus animæ, quod testimonio Hippocratis confirmatur, sanguis ad prudentiam confert & ad aberrationes mentis, ipsius scilicet vitiosa quantitas qualitas, impeditus progressus vel euacuationis

tionis successus &c. quod vltimum jam exponet. §. I. Anima quamuis morbis corporalibus affici & ægrotare non possit, suis tamen etiam infirmitatibus quoad actiuitatem subicitur post lapsum, unde patitur debilitatem languorem & præcipue aberrationes intellectus voluntatis &c. differentia simul animæ & animi exponitur, quod hic sit actiuitas animæ per rationem, adeoque differant ut res & qualitas, causa agens & actus, citantur Linden Select. Med. & Salmasii Epist. §. II. Causæ sunt vel immateriales vel ad oeconomiam corporis & vitæ spectantes. Hæmorrhagiæ hic intelliguntur actiue, earumque fluxus vel motus turbati nimii deficientes impediti. §. III. Causa ex incunabulis lapsus adamici deducitur, unde fragilitas corporis in damnum animæ & debilitas animæ in detrimentum corporis cedit, inde error in vitalibus etiam errorem in moralibus interdum comitem habet vltius communionis inter animam & corpus §. IV. Morbi energiæ animæ generales sunt affectus soporosi anæsthesiæ seu defectus sensationis, Lypothymia; Energiæ Specialis in excessu sunt diuersa deliriorum genera Mania, phrenitis, furor uterinus, melancholia, terribilia insomnia, phantasie nocturnæ, in defectu sunt stupor, obliuio, sensuum infirmitas §. V. in specie hæmorrhagias excedentes comitatur animi deliquium, imo & suppressas, qualia exempla in mensium defectu occurrunt, de hæmorrhagiis quoque narium afferuntur, item ex suppressis lochiis, moliminibus Vomitus cruenti, sic & inopportuna anomala Venæ Sectio obliuionem causata est teste Bartholino. §. VI. Sic hæmorrhagiam narium sub gravi commotione subito repressa phrenitidem causatur, & illa tempestiue redeunte hæc leuatur, eadem suppressa affectus soporosos lethargicos excitat, item stuporem, insensibilitatem, insomnia, prout varii testes, allegantur, imo etiam in Senibus affectus paralytici, paralytes lingvæ cum stupore animi exinde oriri solent §.

(1) Bibl. Acad. 1719.

D

VII.

VII. Sic & in febribus multo magis acutis iuniores plethorici regimine calido cephalalgia & deliriis corripuntur, quæ leniuntur, si tempestive & sufficienter è naribus sanguinem fundunt, aut si in talibus subiectis Venæ Sectio administratur, & postea remedia refrigerantia, tum circa diem criticum deliria, quæ incomatosos lethargicos euentus degenerant, erumpente demum post mortem sanguine è naribus. Sic Synocha simplex hæmorrhagia narium critica nonnunquam soluitur, qua turbata affectus phrenitice lethargici superveniunt: cum Synocha putrida comparatum est, ut cum febribus acutis, ubi etiam decubitus ad caput contingit, qui sub usu narcoticorum in soporosos degenerat, vel volatillum calefacientium in actualia deliria inflammatoria testibus Hippocrate Zacuto &c. §.

VIII. Sic & in vitiis mensium defectivis & nimis inordinatis sæpe furores vterini, deliria, dementia observantur testibus quampluribus practicis, etiam aphonix & Melancholix §. IX. Sic & in hæmorrhoidum anomaliis occurrunt Melancholix, mania, fatuitas, phrenitis. §. X. suppressa quoque lochia febres cum deliriis, phrenitis, obliuio, melancholia, lipothymia insequuntur, & cessationem mensium hæmorrhagias uteri post abortum talia symptomata excipere solent §. XI. Prout & post excessivas hæmorrhagias languor, torpor, fastidium, debilitas, memoria infirma, ingenium tardum, iudicium difficile, capitis debilitas, imo deliria, stupor, obliuio remanent, testibus variis; quin & ex Venæ Sectionibus immoderatis omissiones memoriæ, deliria melancholica orta adducuntur, ut & ex inconsumtis coaceruationibus sanguinis & neglectu Venæ Sectionis consuetæ, cuius exemplum affertur. §. XII. In prognosi in genere tales animi morbi malè indolis sunt, & tales anomalix hæmorrhagicæ itidem malum omen sistunt; in acutis sunt ominosi, si repente inuadant, cito augeantur, & sine remissione continentur, nisi subiectum sit robustum & parum sensibile; morbi defectiui vero periculosiores.

Ia

In chronicis contumaces sunt, si repente & cum magno impetu inuadant & à subito cohibitis hæmorrhagiis, validis animi pathematibus, post puerperia, qui mutationibus Lunæ majores fiunt, qui circa unam tantum animæ operationem versantur, si diutius durarunt & eodem gradu continuant, vix spes superest. Hæmorrhagiæ tempestiue redeunt bonum, intempestiue nihil efficiunt: Sic obseruantur foeminae furore uterino correptæ, quæ largo mensium profluuiio laborant, quique cum profusione sanguinis coniuncti sunt, deteriores existunt. §. XIII. Pathologiam sistit ex nexu animæ cum corpore, & externis obiectis quibus afficitur, licet non physice, actiue tamen, & error taxatur, ac si nullus contactus inter animam & corpus intercedat §. XIV. Hæc conditio animæ ad functiones vitales & anomalias hæmorrhagicas applicatur §. XV. Infrequentia horum morborum assuetudini animæ ad tales anomalias adscribitur, cuius primaria incitamenta recensentur, motus Spiritum turbulentus eorumque existentia deriderur. §. XVI. Tanto facilius oriuntur presente sanguinis spissitudine, vel complicata febre acuta, ratio cur quidam morbi sint excessiui, quidam defectiui reddi nequit, prout nec in moralibus, cur huic istud gratum quod alteri aduersum est, nisi individualis indoles §. XVII. Remouetur dubium morbos animi materialibus remediis emendari non posse cum sit immaterialis, respondendo per instantiam perceptionis, sapidorum, olidorum, visus, auditus, tactus, quæ animæ qualitates sunt, nec sensus externi possunt esse sine subiecto materiali, nec ratio est sine sensibus, adeoque sese afficiunt inuicem. Adhæc remedia in remouendis causis occupata sunt, deque eorum effectu anima gaudet, & nonnunquam dirigit; propius vero animæ curam respiciunt remedia moralia, ubi *Dissertatio de Therapia Morborum morali allegatur.* Nocent vero Venæ Sectio parca inopportuna & in superioribus exerceri solita, & in acutis promiscua raninarum incisio, vehemen-

tes euacuationes per vomitoria purgantia, sudorifera, Plethoram argentia calida Spirituosa, cephalica neruina, narcotica adstringentia, incrassantia, Heroica, impetuosa §. XVIII. Profunt ad morbos excessiuos in acutis Nitrosa absorbentia cum acidis & coralliis rubris, si spissitudo sanguinis deest, temperata acidulata & Mixtura simplex, lenientia per decocta mucilaginoso, diluentia potulenta, regimen moderatum non ætiosum, frictions pedum, rubefaciencia plantis pedum apposita, clysteres lenientes & lenissime stimulant, Epithemata Capitis camphorata cum aceto. In chronicis Venæ Sectio in pede iusto tempore, & post paucas hebdomadas Sectio iugularium vel Sublingualium, usus hircinorum ad loca Hæmorrhoidalia vel aures, successus excretionis aluinæ eiusque stimulus per correcta & parca Aloetia Helleborina, frictions pedum, pediluuia, infusus, rubefaciencia, cucurbitulæ cœcæ infimo dorso & femoribus applicandæ, interne temperantia lenientia, emulsiua, papaueracea diluta, temperatæ acidulæ potus sufficiens, labor. Si in defectu, Venæ sectiones in inferioribus, promotiones alui, infusa vinosa cum Helleboro & polypodio, moderatæ diaphoreses, humorum a capite diversiones, reuulsiones, pediluuia, Therma, infusus, frictions pedum, hircines, cucurbitulæ cœcæ, motus, labor corporis; quibus adiungenda Therapia moralis per consortia, colloquia amica, itinera. &c.

X.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

SPLENETICO MALO

Præside D. D. MICHAÆLE ALBERTI *Consil. Aul.*

& M. P. P. O. &c.

Respond. HELWIG CHRISTAIN MEYER *Onoldo Franc.*

Hale Mense Maj. plagul. 6^½.

IN Proœnio; notitia originis & dependentiæ morborum

rum & utilissima & necessaria ad Medicinam, iuxta
 Celsum: qui bene cognoscit, bene curat, in iis exqui-
 rendis, non locum affectus tantum indaget, sed ubi
 motuum potius quam materiæ vitia sunt, etiam aliæ
 partes in consensum trahuntur, unde inquisitio ortus est
 necessaria: antiquorum enim intemperies vel labes sæpe
 imaginaria, exemplo uteri & aliorum, inepte veteres Lienem
 pro officina Melancholiæ & Veneris simul reputa-
 runt, interim compatitur in affectibus melancholicis. Cum
 ergo tot sint vexationes circa usum & morbos Lienis de
 his commentari jam voluit Exc. D. A. §. I. Non de omni-
 bus Lienis morbis agat, ubi ex Anatomicis affertur Arte-
 rias esse quintuplo plures quam venas in hoc Viscere, in-
 de ob minorem refluxum, citius affluxus sanguinis impe-
 tuosus & impeditas refluxus percipitur, testibus dolori-
 bus. §. II. Sed de particulari illo malo, qui variis spasticis
 doloribus in sinistro hypochondrio se exserit, ex quo vari-
 æ obstructions, Scirrhi, inflammationes oriri possunt;
 quamvis ea non necessario involuat. §. III. Cum ergo cum
 variis partibus consensum habeat tam ratione arteriarum
 venarum, quam motus progressivi sanguinis, clavem ad
 varios affectus suppeditabit. §. IV. Reiciuntur etiam veterum
 obstructions, intemperies, & contra Hippocratem
 nostris saltem Climatibus Lien adeo morbis obnoxius non
 est, neque Lien est officina feculenti sanguinis, nec stri-
 ctæ per hæmorrhoides & nares se repurgat, nec est nuda
 flatulentia, nec laboratorium excrementitii humoris; nec
 specificum fermentum, aut Helmontii duumviratum sup-
 ponit, nec sensatio ei deneganda, nec mutationes ratio-
 nis nudæ materiali potentia in animum adscribendæ, nec
 confundendi, nec Historia hæmorrhagarum negligenda
 in eius morbis. §. V. Testimonia Hippocratis adducuntur
 imo fere omnium Medicorum, quod hypochondriacis
 morbis vel sponte se associet, vel malo regimine & artifi-
 cio attrahatur. §. VI. Differentias recenset ratione Scir-
 rhi

rhi, inflammationis benignioris vel exacerbati, ortus repentini, vel diuturni, convenientiæ, & discrepantiæ cum aliis morbis, ætiologiæ hæmorrhagarum, consensus motuum & partium, nec cum aliis morbis confundatur §. VII. Subiectum sunt ætate iuniores vegetiores ad 20-40. annos, temperamenti Melancholici vel eius cum sanguineo mixti, masculi præfœminis, quibus diætâ spissa, sedentarii, solitudinis amantes. §. VIII. Affectus non infrequens corruptis hæmorrhoidariis & hypochondriacis, sæpe periodicus vere & autumno, inde status in culpa esse nequeunt. fœmellis exacerbatio menstruis periodis obtingit. §. IX. Signa sunt dolores in regione hypochondriaca sinistra alte sub costis retrorsum in lumbari regione, directe introrsum sub costis nothis, item inflationes etiam tactu perceptibiles, angustia respirandi, tristitia. §. X. Concurrunt pathemata Hypochondriaca & Hæmorrhoidalia, variæ flatulentia, palpitationes cordis, nausea, alvi siccitas. Urina est vel tenuis vel pallida vel crassa & subruffa, dolor capitis grauens, insomnia terrificæ, color lividus. §. XI. Præcurrere solent affectus hypochondriaci interdum etiam hæmorrhoidales, præcipue si fluxus hæmorrhoidalis turbatus vel suppressus fuerit, quippe ex quo varios lienis morbos ortos esse probant varii Practici, qui adducuntur, transitus a diætâ tenuiore in crassiorem, a vita mobiliori in sedentariam, incongrua remedia, mensum cessatio. §. XII. Consequentia sunt vomitus eruentus per vasa brevia, si immoderate continuat, aut si recte tractetur hæmorrhoides erumpunt. §. XIII. Duratio interdum satis diuturna, cuius per decennium durantis, & curati exemplum recensetur, distinguitur quoque affectus hic a Lienibus magnis Hippocratis. §. XIV. Prognosofes describit, Hæmorrhoides & menses tempestiue redeuntes sunt optimum leuamen, & vice versa, aluus adstricta, mentes motio, malum, frequens phlogosis, flatulentia, gingiuarum cruentatio, ulcera diuturna, intumescencia itidem malum signum, moderata nari-

narium hæmorrhagia prodest. §. XV. In Pathologia formale affectus est restrictio sanguinis intra Lienem e vena Splenica proueniens, & Lienis opposita constrictio, tendit ad hæmorrhoides, opposita est sanguini superfluo & spisso, ratio spasmodicis commotionibus assignanda non materiæ acidæ. §. XVI. Dicta clarius exponuntur & via qua vena hæmorrhoidalis interna in venam portæ vel in ipsam venam splenicam se insinuat, declaratur ex Anatomicis, quæ si restringatur, simul quoque vena splenica constringitur, unde regurgitatio sanguinis fit. §. XVII. Si tum sanguis regurgitet ad vasa breuia & gastrica, vomitum eruentum causatur. §. XVIII. Dum vero motus illi refluxum sanguinis e Liene impediunt, arteriæ quoque copiosiores sunt; inde lienis oriuntur inflationes, distensiones, angustationes, a quibus reliqua etiam symptomata deducuntur ex illa scil. Splenis & Ventriculi connexionione, inde demum dyscrasia sanguinis ex male absterfa bile & affectiones scorbuticæ superueniunt. §. XIX. Causæ occasionales eadem quæ ad passiones hypocondriacas invitant, structura illa venæ portæ & splenicæ & hæmorrhoidalis, directio motus tonici ad evacuationem sanguinis, si inde stasim sanguis minetur, negotium concoctionis secretionis & excretionis turbetur, euenit ut animus inde angatur & melancholiæ se dedat. Stricterius motus deducitur ex binis illis tunicis quæ hoc viscus inuestiunt quas Highmorus & Malpighius jam annotarunt. §. XX. Refellitur cum Excel. Stahlio opinio ista recentiorum (Ettmüllerini ni fallor) ac simalum hoc non spleni, sed intestino collo inibique retentis flatibus ortum debeat. §. XXI. Consideratur opinio antiquorum, quod lien sit sedes febris quartanæ, quod tamen non admittitur, quamuis non raro concurrant, vbi etiam Febris salutaris naturæ conatus est ad infarctum lienem resoluendum, si autem splenetico malo febribus superueniat, id vel oppletioni hepatis vel incongruis adstringentibus medicamentis assignandum,

dum, unde etiam hæmorrhoides in quartana salubres, & contra a suppressione hæmorrhoidum quartana febris orta est, ut & hîrudinum applicatio in quartana ab Hildano laudatur. §. XXII. In cura nocent euacuationes immoderate, vomitoria, oppressiones euacuationum ordinariam, item sanguinearum, perturbationes hæmorrhoidum, remouentur remedia calida volatilia acria stomachica, resoluentia calida, præmacurus martialium usus, incorrecta Aloetica, promiscuus antiscorbuticorum usus saltem ne liberalior, triuialia antisplenetica, opiata spissescencia copiosa terrea, externa & specifica. §. XXIII. Potius sanguis ventiletur in pede præcipue præseruatorie, præmittantur laxantia ex Rhabarb. Polypod. Tamarind. passulis primis, motus corporis, labores, equitationes, vecturæ profunt, interne diluentia lenientia præcipue dieteticæ, ut juscula pingua oleosa, oleum oliuarum, butyrum, & lacticia repurgatis ante primis viis, moderata, & serum lactis, potus sufficiens non valde saturatus fermentescens, haustus vini boni adulti, non vero austeri acidi sulphurati, infusa calida Theæ Veronic. Scord. Hepat. nobilis Epithymi cum motu corporis, amica consortia. §. XXIV. Subleuant curam infusa Vinosa resoluentia, discutientia laxantia roborantia, & decocta ex talibus parata, ita tamen ne nimis frequenter aluum moueant, unde etiam omissis laxantibus adhibenda, Salia media tartarifata, sal anglicum, Pill. Balsamicæ Stahlî, & Pill. ex extractis amaris Gumm. ammoniac. Galban. & Thereb. additis paucis granis correctorum Aloeticorum & Helleborinorum. Confer spiritus detribus, Liquor terræ foliatæ Tarrari cum Tinctura antimonii, infusus istis etiam parum Radicis Afari Ari & Squillæ admiscere, ut & oxymel Squilliticum Helleboratum paulum correctum in declinatione prodest, diæta bona, alimenta eupepta & lubrica, animi continentia, ad flatulentias usus clysterum proficit, & temperata Essentia carminatiua Balnea domestica moderato usu, acidu-

dulæ temperatæ in affectu adulto & confirmato, sed non nisi parcius assumptæ, prægressa sanguinis imminutione & primarum viarum purgatione. §. XXV. Spasms concurrentibus opponit lenientia temperata; præcipue diætetica juscula pinguis oleosa mucilaginosâ gelatinosâ, infusa calida, decocta, prunata passulata, item clysteres emollientes lenientes, modeste roborantes & externa linimenta, interne antispasmodica nitrosa cinnabarina repetito oblata; ad motus circa venam portæ Millefolium in decocto vel essentia, sed ne prodige nec aluo occlusa, item Cort. Chacarill. interne, castoreum nec non Theriaca externe ad linimenta vel scuta stomachalia, cum vero impetus remissit, Tonica ut Tartarum vitriolatum martialem, Tincturam Martis tartarifatam, Tincturam martis cum succo pomorum vel Mixturam ex Spiritu Cornu Cerui & Tinctura Antimonii, roborantia quoque diætetica & modestum aromaticorum vinosorum usum commendat. Topica parum iuuant, nisi lenientia temperata neruina linimenta & unguenta magis quam Emplastica tenacia, cataplasmata quoque, quibus oleum Capparum sociare licet. Specifica antisplenetica vt Radix Filicis, Cortex Tamarisci, Herba Galeopsidis, Splen bouis nondum fatis ab experientia comprobata sunt. Emplaftra ex Cicuta & Gummi Amamoniaco cum Emplastro saponato modeste adhibita non contemnenda sunt. Squilla etiam interne laudanda est. Eximiam utilitatem habent hirudines; tempeſtiva hæmorrhoidum restitutio malum ex fundamento extirpat. Syrupus Foresti Sceletyrbicus vtiliter etiam iusto tempore adhiberi potest. Præseruatorie conuenit venæ Sectio & Hirudines, laxatio, tranquillitas animus diætæ diluta & eupepta, potus & motus sufficiens, peregrinatio, usus Thermarum & acidularum temperatarum.

XI.
 POLYCARPI LYSERI PROF. PHILOS. EXTR.
 DISSERTATIO
 DE
 FICTA MEDII AEVI BARBARIE IN PRIMIS
 CIRCA POESIN LATINAM.

1719. *Helmstadii* plag. 9.

Elegantissima hæc dissertatio ad hanc academicam bibliothecam merito refertur, quoniam exhibet illam orationem, quam doctissimus auctor in academia Julia habuit, quum sibi collatum munus Professoris extraordinarii a. d. XVI. Junii cl. lccc. xviii. capesseret. Ita autem excreuit, adiectis plurimis annotationibus & specimenibus non inelegantibus carminum siue editorum, siue ineditorum, ut præsentem molem, nec ingratam tamen lectori, nec inutilem indueret. Satis autem apparet ex hoc quasi prægusto, quam pulchra nobis a clarissimi viri, cui recuperatam a graui morbo valetudinem merito gratulamur, historia poetarum medii æui polliceri debeamus. Liceat itaque nobis in eorum gratiam, qui ipsam dissertationem nondum viderunt, ipsius summam aliquam exhibere, ex qua iudicari de integro scripto possit.

Præiudicia innumera sunt, quæ eruditionis progressibus obstant: & in ipsa historia litteraria quidam, de barbarie medii æui persuasi, eruditis illorum temporum illudere, scripta eorumdem negligere, & eruditionem ibi reconditam ignorare solent, indeque sæpe quarunt, quæ dudum inuenta fuerunt, scribunt, quæ scripta jam leguntur. Quam vero inique hæc eruditio media contemnatur, hac oratione demonstrare animus fuit. Terminos medii huius æui facit a sexto post C. N. seculo, vsque ad XV. initia. Sexto seculo qualis fuerit Theologiæ facies exhibetur pag. 3. ita quidem, ut primo de illis agatur, qui circa dogmata Theologica cum laude versati sunt, deinde

p. 4.

p. 4. qui Polemicam Theologiam, vel studium biblicum seu exegeticum curæ habuerunt, vel circa externam ecclesiæ faciem aliqua commentati fuerunt. p. 5. Ibidem indicatur, quam inique barbarici aut obscuritati mediæ æui causa assignetur Pontificum Romanorum sensim sensimque aucta potestas. Ordinis quoque eo tempore in externis rite obseruati quædam indicia laudantur, & pag. 7. ad emendationes practicas referuntur institutiones ordinum religiosorum, quorum prima instituta laudem, subsecuti abusus censuram, merentur. Jurisprudencia hoc seculo, Justiniani Imperatoris auspiciis, in summum fastigium euecta est. Sunt quidem qui multa hic desiderant, quibus Jacobi Cuiacii iudicium opponitur. Medicus huius seculi existat Alexander Trallianus minime certe barbarus auctor. p. 9. Philosophi, mathematici & historici minime contemnendi. Nec philologia frugit hoc seculo, quod Priscianum, Grammaticorum Latinorum principem, habuit. Eloquentiæ solutæ specimina dederunt Severinus Boethius & Ennodius. Fulgentius curiosas orationes XXIV. scripsit, quarum prima caret littera A. secunda littera B. & ita porro. Poëtas etiam dignitatem (p. 11.) tuiti sunt in lingua Græca Nonnus, in latina Rusticus Helpidius, Turcius Ruffus Asterius, Alcimus Ecdicius Auitus, Dracontius, Arator, Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, Magnus Felix Ennodius, Rex Francorum Chilpericus: de horum scriptis subiectæ annotationes suis agunt, & specimina quædam exhibent. Plures quoque poëtas cultores p. 16. nota(n) adducuntur.

Seculo VII. religionis Islamiticæ ortus debetur. (p. 17.) Illius conditor Muhamed non leuem legislatoriam in decretis ferendis demonstrauit prudentiam, cuius quædam adducuntur instituta. Philologia non leue in Muhamedo præsidium habuit, quippe cuius Coranus non doctrinarum solum, sed & sermonis norma haberi solet. Sed & Latini habuerunt hoc seculo poetas non poenitendos,

quorum fragmenta quædam excerpta in notis adiiiciuntur. Seculum II X (p. 22.) se effert Parisiensi Schola condita, & poetis non contemnendis, Beda, Paulo Diacono, Alcuino, & magno illo Imperatore Carolo Magno. Seculum IX. p. 23. eruditos & præstantes & plurimos numero fouisse vel sola principum eruditio singularis persuadet. Photius hoc seculo Nomocanonem scripsit. Arabes plures vertendis in suam linguam Græcorum libris infudarunt. Poëtæ longe plurimi floruerunt, de quibus in notis fusius exponitur.

Seculum X. incrementis (p. 29.) gaudet plurimis. Nouellæ & βασιλικῶν libri Leonis in eo conditi. Character Arabicus elegantior scribi coeptus, poësis Germanorum insigniter excitata: poësis Latina, secus quam eruditi viri crediderunt, probe culta fuit, præsertim a Rhosvita, vestali Gandershemensi & aliis laudatis. Minime certe barbariem sapit ἀποσπασμάτων Syri monachi, quod nota

(bi) exhibetur, Idignum quod hic quoque legatur:

Martyr, vt emeritam certamine sumere palmam

Vique sui posset perfundi fonte cruoris,

Optat, & intrepido profundit talia vultu:

Quod satis est, supraque satis, huc viximus vsque:

Nunc faciem penetrare cupit cum spiritus ardens

Christe tuam: tædetque viæ, tædetque laboris.

Qua breuiora patent recti compendia callis

Ire iuuat, via sit trepidis nimis ardua quamquam,

Propere sidereos dabitur contingere campos.

Seculo XI. (p. 31.) poëtarum magnus est numerus. Solet vitio verti huius æui poëtis, quod rithmos contra morem præscum intulerint latini poëtæ. De eo iudicium fertur. XII. seculo (p. 33.) doctores, qui vulgo scholastici dicuntur, floruerunt. Ex Judæis quidam studium exegeticum insigniter promouerunt. Lotharius imperator Jus Justinianæum restituit. Juris Saxonici & Suecici volumina sunt conscripta & promulgata, Gratianus Juris Canonici fundamentum jecit. Mauri illustres academias funda-

dauerunt. Bernhardus, Abbas Clarauallensis, eloquentiæ plane mellæ vir, hoc æuum decoraui. Poetarum sane magnum prouentum sæculum hoc attulit, de quibus p. 34-50. copiose agitur. nota (c q) de Galfrido, poeta huius sæculi elegantissimo, multa affert, nec poenitenda.

Seculo XIII. non defuerunt egregii poëtæ, ex quibus eminet Josephus Exoniensis sine Deuonius Ifcanius, cuius carmen de bello Troiano tam cultum & emendatum est, vt Cornelio Nepoti a quibusdam adiudicatum sit. Sæculum XIV. p. 56. poësi latina ornarunt etiam non pauci, ex quibus Franciscus Petrarcha, & Joannes Boccatus eminent. Tandem enarrantur p. 59. seqq. incertæ ætatis, mediæ tamen æui plures poëtæ, partim editi, partim inediti p. 63. ad conclusionem venit auctor, & iterum contendit barbariem mediæ æui, qualem vulgo accusant, esse fictam. Appare fatis ex his, quæ dicta sunt, non defuisse his temporibus vel scientiarum culturam, vel librorum apparatus, vel eruditorum copiam. Multos modestiam a scribendo retinuisse. Hodie in tanta subsidiorum abundantia plures viros admodum eruditos nihil tamen scribere. Accedit quod omni æuo fuerunt, qui sine nomine suo libros ediderunt, quos plerumque negligi & perire contingit. Periisset sane quicquid habemus Græcorum Latinorumque monumentorum æui antiquioris, nisi medio æuo fuissent, qui integræ nobis seruaissent. Forte auctores illius præiudicii viderunt desidiam Monachorum plerorumque in patria sua, & inde de vniuerso orbe iudicium fatis præceps tulerunt. Accedit rerum medio æuo gestarum nimia ingnorantia. Etiam Lutherani videntur suæ religionis amore barbariem exaggerasse, cum tamen ex testibus veritatis a Flacio productis pateat, numquam defuisse, qui saniora profiterentur; & a falsitate dogmatum ad barbariem minime concludendum est. Vltimo loco indicatur potissimus fons illius calumniæ, nempe sæculis proxime elapsis verborum captatores critici solos se putarunt eruditos, & hac sua opini-

one mundum tantum non vniuersum fascinarunt. Vnde quicquid elegantiae sermonis Latini & Graeci non respondere videbatur, illud barbarie infectum existimauerunt, tamquam Latina & Graeca lingua philologiam omnem exhaustiret, aut linguarum doctrina eruditionis complecteretur ambitum. Ita satis erudite ostendit vir doctissimus se in aevi medijs monumentis esse versatissimum. Vtrum vero ipse tamquam philosophus serio credat falso imputari omnino barbariem isti temporum periodo: an tamquam orator hoc, quod sine dubio *μακάροζον* plerisque videbitur, proposuerit, & vero simillimum reddere studuerit, ut merito contentis huius aetatis virorum scriptis aliquam conciliaret gratiam & ad fructum ex melioribus capiendum inuitaret, omnino alijs diiudicandum permittimus. Veremur autem magnopere ut omnibus adprobaturus sit inique imputari fontem barbariei pontificum Romanorum sensum sensumque auctae potestati. Nimis enim videntur clara esse documenta quibus huius causae veritas a multis adstructa est. Papam etiam capitis ecclesiastici nomine venerari non esse impium, nec ullam apparere rationem cur non ipsi, si veritatibus coelitus datis vim inferre desistat, potius concedamus summam in rebus sacris potestatem, quam politico principi; id sane adfertur, si vel maxime theologi concederent, numquam credo politicis esse placiturum, quum in republica rempublicam & alium cum summa potestate sacris praefectum, alium res saeculares etiam cum summa potestate dirigentem constituere aequum incommo- dum videatur. Sed haec excutere a nostro instituto alienum est.

XII.

MARTINI CHLADENII *Th. C. & P. P. templi O. O. S. S. praepositi & consistor. assessor.*

PROGRAMMA

IRENÆI ELPISTI DE ELIGENDA RELIGIONE
COMMENTA EXCUTIENS,

9. Jul. Wittenberg. 2. plag.

Disputationem inauguralem mox recensendam pro more

re

re præcesserat programma plurimum reuerendi Decani facultatis theologicæ, idque oppositum *disquisitioni de eligenda religione in Germania* nuper editæ à quodam *Irenæo Elpistio*, qui se deferta Lutherana religione Reformatam amplexum fuisse dicit, eiusque præstantiam præ ceteris demonstrare laborat. Vbi circa præfationem taxatur, quod autor, postquam recte præsupposuit in rebus salutis ex reuelatione omnia petenda esse, tamen rationem rursus in thronum collocet, eiusque ductum ad religionis mutationem sequatur, falso persuasus, se missa fecisse præiudicia, quibus potius obrutus sit: quod vulnera conscientia palliet obiectionibus de interesse mundano, de apostasias crimine & damnatione parentum: quod frustra queratur, se rationes sufficientes de eligenda religione ab aliis audire non potuisse: quod ætatem in incertitudine triuerit, nec adhuc certitudinem habeat: quod denique odio aduersariorum inique carpat Chemnitium, Calouium & Hutterum.

Ad *cap. I.* monentur sequentia. Elpistius male rationem habet pro fundamento, reuelationem pro supplemento aut ad summum, pro aliquo firmamento religionis. Male veritatem describit per convenientiam rerum cum sententibus & ideis nostris, ad quas exigi non potest veritas mysteriorum. Cum queritur, omnes sectas inter Christianos, quotquot sint, confugere ad sacram scripturam; debebat cogitare, an eodem modo & an ad SOLAM illam confugiant: atque sic vidisset, exinde noua dubia non oriri, sed sectam quamcunque falsam esse, quæ scripturæ sacræ aliud comprincipium adiungat; contra autem veram, quæ illi comprincipium ullum adiungi nolit. Dum omnes sectas Christianas cum suo charactere enarrat, conscientia compulsus omisit religionem Lutheranam, nisi eam pungere voluit sub nomine fidei carbonariæ, quod admodum foret iniurium, cum ea sequatur Paulum, quando docet captiuandam rationem sub obsequio fidei, & non

ex-

excludat cultum λογῶν, id est, non à ratione institutum vel dependentem, sed institutum prudenter & circumspēcte secundum verbum. Dum remedium uniuersale ad verum inueniendum esse dicit dubitationem, venenum propinat pro medicamine, cum dubitatio res jam in scriptura decisas nouiter sollicitet ac indecisas relinquat, quicquid incrustetur. Reliqua contra Lockium, Baylium & Cherburium erudite monita fuerunt, & recte assertum tristes satis fructus prodire à ratione absque reuelatione, sed nec meliores fructus prodeunt, si ratio adiungatur reuelationi & coopretur in societatem imperii. Vnde perperam Elpistius docet religionem sequendam ex ratione, sed reuelatione postea firmata: quod & contradicit ei, quod præmiserat, religionem reuelatam *solum* docere media perueniendi ad tranquillitatem animi. *De quibus singulis iudicium esto penes lectorem.*

Reliqua *tria capita disquisitionis* autor promittit se proxime exsecuturum, nunc describit vitam summe reuerendi JANI ex qua mihi sufficere commemorasse eius scripta. Recensentur vero sequentia.

Dissertationes philosophicæ & historicæ: de ἀνδροποδοσίας origine duæ ann. MDCCIII. de Platone Iudaizante, de Institutione, & de Peregrinatione Platonis, Johannis Dallæi & Guil. Beueregii sententiæ de antiquitate canonum Apostolicorum MDCCVI. de principiis innatis contra Lockii obiectiones, de scientiis actiuis, de iudiciis eruditorum de origine collegii Electoralis, itemque de principio juris naturalis, de quatuor Monarchiis aduersus Joh. Christoph. Becmannum, Hermannum von der Hardt, & obseruationes Halenses, de historia æræ Christianæ, de Boioaria Francis subiecta, de censu Romanorum primo, de historia confessionis auricularis, de duellorum origine & progressu, de dominatu Pontificio post emendatam religionem diminuto, de origine Patriarcharum Christianorum, de fati cycli Dionysiani, de origine & progressu cen-

cenſuræ Eccleſiaſticae, de articulis Suobaceniſibus fundamen-
to Auguſtanae confeſſionis. *Diſputatio Theologica* de Trini-
tate Platonifimi vere & falſo ſuſpecta Præſide D. Neuman-
no. *Programmata* de veteri Ducatu atque Electoratu No-
rimbergenſi, itemque de veritatis hiftoricae ratione &
fundamentiſ, quo inuitauerat ad *orationem* de vero hifto-
riae uſu. Præterea edidit *libros ſingulares*, D. Neumannii
Theologiam aphoriſticam ab autore ante quam moreretur
publicari coeptam; reſponſiones, Theoſophiam Ortho-
doxam, & ſpecimen errorum Langianorum, quibus illam
vindicauiſ ab aliis impugnatam; denique librum Diony-
ſii Exigui de paſchate cum hiftoria cycli Dionyſiani.

Tot ſpeciminibus clarus poſt Profefſionem extraor-
dinariam ethices ac politices ab anno MDCCXII, & ordi-
nariam hiftoriarum ab anno MDCCXIV. geſtam, nuper
Profefſor Theologiae designatus fuit, ideoque gradum
Doctōris, quem acceſſus muneris huius Witebergæ requi-
rit, petiit. Ad ſpecimina itaque ſolemnia admiſſus, d. X.
Julii initium fecit lectionum cursoriarum ex Act. XIII,
46. 47. præmiſſa oratione de *optima ratione demonſtrandi ve-
ritatem religionis Chriſtiane*, ad quam auditores in fine in-
uitantur. Secuta eſt diſſertatio publica, de qua reſtat di-
cendum.

XIII.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

JURE DECIDENDI CONTROVERSIAS THEOLOGICAS

Præſide GE. FRIDER. SCHROEERO, Th. D.

& P. P. & alumn. regior. ephor.

Reſp. JO. GUIL. JANO, hactenus hiftor. nunc Th. Prof.

31. Julii Witenbergæ 52¹/₂ plag.

Tota Diſputatio fouet eiſmodi principia, quibus
minuitur ſuprema poteſtas in eccleſiam Principi-
bus competens, iique cum miniſtris politicis con-
ſtituuntur nudi exſecutores ſententiarum a Theologis lata-
rum, ſtabilitur vero Papatus, quem aliqui ex his affecta-
runt,

(1) Bibl. Acad. 1719.

F

runt, eximii autem JCi quidam dudum prostrauerunt. His igitur opposita est præfens disputatio, adeoque non versatur in argumento Theologis proprio, cuiusmodi ego collegis huic studio addictis prorsus relinquo excerptenda. Quare spero veniam, si bona fide referam, quid proferatur de quæstione ad forum politicum maxime pertinente, & libere profitear, quid mihi de præcipuis capitibus huius litis videatur.

Fons controuersiarum theologicarum est lapsus, fons medelæ verbum Dei §. 1. Materia controuersiarum theologicarum §. 2. totuplex est, quot partes Theologiæ, præterea alia à Deo ordinata est & potissimum consistit in credendis & faciendis, alia in potestate ecclesiæ est, quo maxime pertinent adiaphora. Principium §. 3. est scriptura S. quod ad consequendam fidem & salutem æternam omnibus commune, ad quæstionem theologicam vero tractandam Theologis proprium est: in adiaphoris accedit constitutio ecclesiæ tanquam principium secundum. Quæstio §. 4. est vel pura, de qua Theologus iudicat, e. g. de Trinitate, vel mixta, Theologo ac JCto communis, v. g. an anti-Trinitarius tolerantus in rep. Iudicium §. 5. est vel intelligentiæ seu discretiuium, quo vti debent Laici, vel definitiuum. Hoc §. 6. nititur potestate, quæ est vel independens vel dependens. Hæc vel absolute talis, vel secundum quid, quæ scilicet lege superioris quidem dirigitur, sed tamen libere statuit. Potestatem ministrorum ecclesiæ multi diuidunt in potestatem ordinis & jurisdictionis. Decisio §. 7. est duplex, quia coercitio errantium aut est spiritalis aut legislatoria. „Singula sine „vlla probatione dicuntur, neque adeo petitiones principii „immixtæ cum ceteris erroribus merentur confutationem. „Quare pergo ad applicationem.

§. 8. prolixè exequitur, solum Spiritum S. esse summum iudicem in decidenda controuersia de capite doctrinæ Christianæ. Iudex *uouimus* §. 9. est sola scriptura S. Iudex ministerialis §. 10. est ecclesia, quia illi concredita sunt *τα δὲ γὰρ ἐστὶν* „Rom. III, 2. *quam consequentiam* non assequor, maxime „cum hic locus agat de Judæis, & ex ipsa interpretatione Hun-

»Hunnii ab auctore adducta idem velit, quod Dauid prædi-
»cat Psalm. CIII, 7. Notas fecit vias suas Moſi, filiis Iſrael
»voluntates ſuas, & Pf. CXLVII, 19. Qui annunciavit ver-
»bum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua filiis Iſrael, Hæc
»decifio ministerialis eccleſiæ §. 11. debet fieri ab eccleſia
»repræſentatiua, Theologis in concilio conuocatis, aſſeſſo-
»ribus conſistorii, facultate theologica vel aliis eccleſiæ docto-
»ribus. *In hoc voluitur cardo negotii. Videamus igitur probatio-
»nes.* I. Doctorum eccleſiæ magna eſt autoritas, & cum duodif-
»ſentiunt, eadem utriusque, ac poteſt eſſe autoritas maxima
»ſuadendi ſine jure decidendi. Et quamuis Pontificii perpe-
»ram putent, Chriſtum loqui, quando Papa de controuerſiſdis
»cit ſententiam; tamen Chriſtum audiunt, qui ſaudiunt eccle-
»ſiæ miniſtrum, quando dicit ſententiam couenientem cum
»ſacris literis, *que ipſa in quaſtione eſt.* 2. Pollent ſpecialim fa-
»cultate decidendi controuerſias theologicas, *quod eſt ipſa the-
»ſis probanda, quare audiamus ætiologias.* Probatuſ a ſpeciali fa-
»crarum literarum uſu, qui ipſis merito tribuitur, quem
»admodum ſpecialis uſus principiorum diſciplinæ philoſo-
»phicæ vel hiſtoriæ Profeſſori Philoſophiæ vel hiſtoriarum,
»quem tamen non memini gaudere jure decidendi contro-
»uerſias eo pertinentes: b) officio, quo recte doctor eccle-
»ſiæ debet fungi, quoque, ut dudum ab aliis adnima duer-
»ſum eſt, continetur obligatio, non vero tribuitur poteſtas
»judiciaria definiendi controuerſias: c) facultate cogendi
»per clauem ligantem, »ex decreto nimirum conſistorii,
»quod ipſum eſt iudicium ſeculare, per quod princeps
»jus dicit, »ac patrum & conciliorum ſeculi II. & ſequen-
»tium, quibus, quia infallibilitas non poteſt tribui, etiam
»eorum factum pro regula & probatione juris haberi nequit,
»& autoritate eccleſiæ Lutheranæ, quæ idem confirmat Au-
»guſtana confeſſione, vid. Abuf artic. 7. p. 39. *qui autem locus
»non eſt* » extendendus ultra jus epiſcoporum docendi, eo que
»ipſo exponendi ſuam ſententiam de controuerſiſ, & obe-
»dientiam eccleſiæ, in caſu, quo agnoſcit ab illis veram ſen-
»tentiam *proponi.* Poteſtas decidendi controuerſias theolo-
»gicas externa conuenit magiſtratui §. 12. adeoque debet iſ

religionem tueri, potestque concilia conuocare ac dirigere, & rem theologicam à ministris ecclesiæ definitam ita decidere, ut approbet, propaget, contradicentes tacere compellat, & pertinaces coerceat, vno verbo: debet esse minister cleri, & quod hic decidit, non modo ipse credere, sed & aduersus alios exqui, contra Deum nullibi dixit, quod ortis controuersis theologis magistratus consuli & potentia interna uti debeat, *quod nec illi dicunt, qui Theologis denegant ius hoc decidendi*. Itaque Theologi veram sententiam definiunt, magistratus decisionem confirmat, sententiam fert, ac totam decisionem absoluit, *clarius: Theologus est Iudex, magistratus executor*. Quod probatur potentia interna concessa Theologis, adeoque merito negatur ab his, qui illam non agnoscunt. Magistratus politicus §. 14. & multo magis clerus non habet ius mutandi religionem, nec potest directe vel indirecte lædere substantiam eius, quia Dei minister est. Hinc decisionem magistratus §. 15. nulla est, nec valet decisio cleri, qua vetat tradere doctrinam in sacra scriptura contentam, sed merito obedientiam negant doctores iussu diuino commoti, *si nimirum* priore casu habeant immediatam vocationem diuinam; alias enim si credant, se pati persecutionem aduersus conscientiam suam in una urbe, ceteris paribus non licet ipsis resistere, sed tenentur fugere in aliam. *Matth. X, 23*. Si Lutheranus, qui in libros Symbolicos iurauit, Sociniani accusatur apud Principem, qui legem dedit de hæreticis expellendis; cognitio conuenit Theologis, qui dicant sententiam ex potestate interna de doctrinæ veritate vel falsitate, deinceps Iudicent de poena ex lege Principis, & sententiam dicat Princeps, de cuius potentia allegatur Carpouius. 3. tit. lib. 1. def. eccl. 5. tanquam consentiens, *sed non intellectus auctori*: quandoquidem ibi plane non agit de potestate Principis, sed de iure iudicis secularis inferioris, idque in causis mere secularibus, nec in oppositione ad Theologos, sed ad consistorium; nec ipsi tantum poenæ dictamen & executionem tribuit, sed integram cognitionem cause: quæ sine dubio à Principe etiam in casu dicto meris Politicis committi possent, maxime cum non quaerendum, an rei doctrina vera vel falsa, sed an Sociniana sit, quod non solum orthodoxi Theologi, sed etiam alii homines intelligere ac diiudicare possunt.

§. 17. De adiaphoribus agitur. De his vel retineandis vel recipiendis quæ


ties instituitur quæstio, ea primo debet tractari à Theologis. 1. quia adiaphora ex scriptura S. cognosci debent, *quæ ratio etiam si concluderet, frustra tamen adduceretur pro regula construenda, cum vix quadret ad casum quemque centesimum: ceteros enim nonaginta nouem nostra ecclesia refert ad adiaphora indubia, idque & Politicis adeo notum est, ut acum agerent, si rem pridem cognitissimam exquirent à Theologis. 2. Hinc Theologus, æque ac Laicus, non potest admittere aduersa verbo diuino: quæ pro adiaphoris obruduntur siue à Theologis siue à Politicis, quæque nec pertinent ad nostram quæstionem. 3. Qui adiaphora pro mediis ad salutem necessariis habet, lædit fundamentum fidei & accedente pertinacia, fit hæreticus, ex hypotesi illorum, qui credunt superflua nocere saluti: & se discernere posse pertinaciam ab errore intellectus in bona fide versantis, quod per rerum naturam impossibile est. Ne igitur hoc fiat, quod abunde præcauere possunt pastores, si potestate legislatoria Principi relicta populum doceant, ceremonias illas non ex præcepto diuino tanquam media salutis, sed ex præcepto Principis tanquam media boni ordinis in ecclesia seruari debere, Theologi debent primum iudicare, utrum adiaphora recipienda an reiicienda sint, deinde rem proponere auditoribus, cum & horum consensus ad reiicienda vel recipienda adiaphora sit necessarius ex opinionibus dudum explosis ritum statuum ecclesiam componentium & sacra cuiusdam reipublicæ, quæ sit in reipublica seculari, nec ab ea dependeat. Consentiente populo Princeps, ut nudus minister cleri & populi ab eo pendens, debet facere constitutionem ecclesiasticam, idque iterum ex consilio Theologorum, quia hi sunt oeconomi mysteriorum, & ordo in ecclesia collimare debet directe vel per indirectum ad salutem eius internam, quæ suprema lex eius ceteras leges quascunque modificat, quemadmodum ordo à bono patre familias in omnibus suis functionibus seruatus collimat directe vel per indirectum ad salutem rei familiaris, quæ ceteros conatus cuiuscunque viri prudentis modificat, adeoque is, si consequentia autoris valet, nihil omnino negotiari vel constituere debet, nisi ex consilio uxoris, vel alius oeconomi, quem habet. Vnde etiam primis seculis episcopi adiaphora curarunt spontanea permissione Laicorum post derelictionem Imperatorum ethnicorum, cum hi ecclesiam dirigere, ac suum jus circa sacra exercere nollent, quod hodie secus, eademque desinuerunt in conciliis, papatu negligentia Constantini M. jam orto, & Principes reformantes consilia communicarunt cum Theologis, ex regulis prudentiæ, quæ nec hodie permittunt eos præteriri, quoties obstant eadem vel pares rationes, quæ turbulentis illis temporibus concursum Theologorum reddiderunt necessarium.*

§ 18-24. cumulantur quamplurimæ doctrinæ & obiectiones eorum, qui dissentiant ab autore. In qua tractatione laudanda est eius modestia, qua contra morem aliorum, quorum errores defendit, neminem conviciis onerat aut anathemate ferit, ac ne quidem vllum aduersarium n ominat. In eo tamen iniurius est in illos Politicos, qui controuersiarum theologiarum de-

cilio-

cisionem Theologis denegarunt, quod hoc §. 23. ideo factum esse ait, quia ipsi velint doctrinæ capita & orthodoxiam juridicam ordinare. Hoc enim facile refellit ipsorum doctrina qua ubique symbola augeri dissuadent, contra tolerantiam dissentientium commendant, & decisiones necessarias ad altiorum locum, nempe ad ipsum Principem & sanctiorem illius Senatuum referunt, Ceterum confutare studet sententias suæ aduersas, idque ex principis jam recensitis; quibus destructis etiam eius obiectiones ac responsiones corruunt, maxime si tria aduertantur. I. In effectu idem est, vtrum iura maiestatica circa sacra adscribantur Theologis, an ipsis tribuatur decisio interna controuersiarum de fide & adiaphoris, quam Princeps teneatur exequi vi externa. 2. Distinctio inter decisionem Theologorum verbo diuino conuenientem & aduersantem idealis est, nec potest applicari ad questionem obuenientes in ipsis argumentis rerum, cum queratur de decisione, qua definitur, quid verbo diuino conueniat, nec ne, quæ ipsa si iterum ex sacra scriptura diiudicanda est, res resoluitur in circulum manifestum. 3. Diuisio iudicii in definitiuum & discretiuum est mere imaginaria. Aut enim Laici per suum iudicium discretiuum libero examini subiiciunt, & pro dictamine suæ conscientiæ vel approbant vel improbant iudicium Theologorum: & sic reuera habent iudicium definitiuum, Theologi vero tantum suam opinionem explicant & consilium dant, non vero definiunt quicquam: Aut Laici sequuntur necessario sententiam Theologorum: & sic plane non iudicant, sed parent, & credunt, quod ecclesia representatiua credit, nectam habent iudicium intelligentiæ, quod est contra dictio in adiecto, quam intelligentiam sine iudicio in decisionibus intelligibilibus. Quoties enim res redit ad distinctiones ac terminos metaphysicos vel his obscuriores, & superantes captum generis humani vel saltem Laicorum minimum indoctorum: nequidem habent intelligentiam, sed gloriam credendi & ignorandi quid.

Quæ cum ita sint, non puto necessariam esse recensionem & confutationem singulorum, in primis cum præsens disputatio in vno tantum differat ab alia eiusdem argumenti sub finem præteriti seculi Lipsiæ habita. Nam ista aperte inungebat Laicis coecam obedientiam, & subiiciebat eorum conscientias decisionem Clericorum, etiam inter se dissentientium, factæ per pluralitatem votorum, quæ est modus sese extricandi ex controuersis ad intellectum pertinentibus, iniustus quidem sed tamen manifestus & sibi ipsi constans. Præsens vero reapse quidem tendit ad iudicium omne adimendum Laicis, sed tamen idem iisdem tribuit, & decisionem Theologorum, quæ debet definire sententiam scripturæ, iterum subiicit serutinio ejusdem, & concedit nihil agi in casu dissensus inter Theologos, sine quo vix datur controuersia theologica, de cuius decisione queritur, adeoque sibi ipsi contradicit. Jam autem alii dudum ex asse fatiscerunt dictæ disputationi Lipsiensi, adeoque etiam nostræ in illis capitibus, in quibus cum illa consentit, cetera vero se ipsa euertunt. Non puto igitur opus esse vltioribus excerptis ac responsionibus, quas nec admittit hic locus ob cumulationem thesium quam plurimarum & breuitatem pertractationis singularum ab autore adhibitam, si uolim ipsam disputationem si non superare, saltem æquare prolixitate prorsus aliena ab hoc instituto.



Ap 364
~~1A~~





Sb.

8

u. l.







2

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE ANNI MDCCXIX SECTIO I,

QVA RECENSENTVR

- I. CHR. AUGUST. HEVMANNI
Progr. de metamorphosi filii Dei.
- II. *Diss. Jurid.* de legato collegio reli-
cto. *Praef.* MELCHIORE DETHM.
GROLMANN *inaugur.* FRID. LEOP.
DILLENII.
- III. JO. LUDOLPH. BUNEMANNI
Progr. de bibliothecis Mindensibus.
- IV. *Diss. Jurid.* de thesauro arte magica
inuento *Praef.* JO. BERNH. FRIESE
inaug. JO. HIER. HERMANNI.
- V. *Diss. jurid.* de potestate superiorum,
in mutandis vltimis voluntatibus *inaug.*
HIERONYMI ECKEBRECHT.
- VI. JO. FRID. WUCHERER *progr.* de
studio physicae dogmaticae, cultori sa-
pientiae admodum necessario.
- VII. *Diss. histor. theol.* de colloquiis cha-
ritatiuis saeculo XVI. per Germaniam
irrito euentu institutis *Praef.* JO.
FRANC. BUDDEO, *Resp.* HENR.
CONR. AREND.
- VIII. GEORG. ADOLPH. SCHU-
BERTH. *progr.* de meritis Electoris
Augustii in Jurisprudentiam Saxoni-
cam.
- IX. *Diss. med.* de morbis animi ex ano-
maliis haemorrhagicis. *Praef.* MICH.
ALBERTI *inaug.* JO. WARDEN-
BURG.
- X. *Diss. med.* de Splenetico malo, *Praefide*
MICH. ALBERTI *Resp.* HELWIG
CHRIST. MEYER.
- XI. POLYCARPI. LYSERI *dissert* de
ficta medii aevi barbarie, inprimis cir-
ca poesin Latinam.
- XII. MARTIN. CHLADENII *progr.*
Jrenaei Elpistii de eligenda religione
commenta excutiens.
- XIII. *Diss. Theol.* de iure decidendi con-
trouersias theologicas *Praef.* GE. FRID.
SCHROEER. *inaug.* JO. GUILL.
JANI.

Cum priuileg. Sacr. Reg. Mai. Prussf.

HALAE MAGDEBURGICAE 1719.
SVMTV NOVI BIBLIOPOLII

